



6

DE  
C Y P S E L O  
CORINTHIORUM TYRANNO.

---

DISSERTATIO

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

RITE OBTINENDOS

CONSCRIPSIT

JOANNES JULIUS SCHUBRING

DESSAVIENSIS.

---

GOTTINGAE MDCCCLXII.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIAN.

(CUM. OP. KAESTNER).





**ERNESTO CURTIO**  
**HERMANNO SAUPPIO**

**PRAECEPTORIBUS CARISSIMIS.**



## I N D E X.

---

1.	Prooemium. . . . .	p.	1
2.	De falsitate fabulae, quae de Cypseli infantia fertur. „		2
3.	Minyas et Lapithas antiquitus Corinthum tenuisse. „		7
4.	De Cypselo Atheniensi. . . . .	„	14
5.	De Cypselo Arcadico. . . . .	„	17
6.	De tyrannorum cognominibus. . . . .	„	23
7.	De arca Cypseli. . . . .	„	24
8.	De Graecorum more e nominibus fabulas fingendi. „		29
9.	De Bacchiadarum oraculo. . . . .	„	32
10.	De nobilibus Corinthiacis et Labdae persona. . . „		43
11.	De Aetionis oraculo. . . . .	„	48
12.	Apollinem tyrannis infestum fuisse. . . . .	„	51
13.	De oraculorum libris. . . . .	„	54
14.	De oraculorum ministris. . . . .	„	56
15.	De oraculorum fraudibus. . . . .	„	58
16.	De Cypseli polemarchia. . . . .	„	62
17.	De Cypseli oraculo. . . . .	„	65
18.	De Cypseli imperio. . . . .	„	68

---



**I**n historia veterum Graecorum e fontibus eruenda penitusque cognoscenda quum versarer, nihil magis operae pretium esse videbatur, quam si quis res Corinthiorum, qui post Athenienses et Lacedaemonios opibus ingenio auctoritate omnium maxime floruerunt, ab origine usque ad interitum, qui etiam totius Graeciae finis erat, accurate investigatas continua oratione illustraret. Quam rem quum ab aliis neglectam viderem, equidem ita suscipiendam putavi, ut primum omnia, unde scientia rerum Corinthiacarum peti posset, diligenter conquirerem, historiam ipsam conscribendam in posterum tempus, si quando ad tantum opus aggrediendum vires satis convalescerent, ut par est, differrem. Sic ad ea quoque delatus sum, quae de Corinthiorum tyrannis quum alii tum Herodotus maxime et Nicolaus Damascenus tradiderunt. Et Herodoti quidem narratio oraculis deorum variisque prodigiis ita exornata est, ut dubitari possit, num oraculis ad res humanas illustrandas usus sit, an narratione rerum humanarum effata deorum comprobare voluerit. Quae narrandi ratio non solum in rebus Cypselidarum describendis perspicitur, sed complurium virorum, velut Croesi et Batti, vitas continua oraculorum ac fabularum serie distinctas retulit pater historiae. De quorum oraculorum atque narratiuncularum natura indoleque et auctoritate quamquam in universum constat inter homines doctos, — nam de falsitate plerumque persuasum sibi habent, etsi multi adeo eis delectantur, ut fraudem vix agnoscere videantur —, perpauca tamen adhuc de origine eorum et compositione ac fonte egerunt; qui vero mentionem iniecerunt, obiter hunc locum attingere, quam peculiari quaestione pertractare maluerunt. Sed enim, ut in omni disputatione philologica, sic hac quoque in re non solum summi momenti, sed etiam necessarium est, ut nonnisi singulis diligenter pervestigatis et accurate examinatis ita, ut aliud ex alio ad similitudinis regulam cognoscatur, ad certum firmumque iudicium perveniatur. Quare nisi singula omnia, quae apud Herodotum Pausaniam Plutarchum ceteros ferantur, oracula ex rebus gestis illustrata atque explorata, item eorum metrum dialectus dictio comperta tenentur, non potest fieri, ut de

eorum natura fide fonte certo clareque judicetur. Tum verum etiam ad tenebras illas et obscuritates, quibus Delphica divinatio velata est, lux scientiae admoveri poterit. Plane igitur cum Petersenio consentiendum est, qui in *Philologo*, quum de exegetis Atheniensium dissereret, negavit quicquam magis desiderari, quam omnium, quae apud antiquos reperiantur, oraculorum editionem artis criticae ope curatam. Quamquam nonnulli jam coeperunt, propriis quaestionibus operantibus rebus dare. Verum tamen et Limburg-Brower in opere quod inscripsit: *Histoire de la civilisation morale et religieuse des Grecs* et Wachsmuthius in *Antiquitatibus Graecis* accuratius oraculorum tractatione supersederunt, etsi magnam uterque copiam collegit; simile quid accidit Huellmannio, qui nominis, quod libello suo: *Würdigung des delphischen Orakels* dedit, prorsus immemor indigne et per arrogantiam de vaticinatione Delphica disputavit, et ne eis quidem, quae nuper Schoellius in *Philologo: über die Entwicklung Herodots zu seinem Beruf* exposuit, quamquam multa nova, multa praeclara attulit, rem ad finem perductam esse puto, id quod ne ipse quidem voluit. Quamobrem quum nostrum non sit, universam de oraculis Delphicis disquisitionem absolvere atque perficere, pro virili tamen parte in id studium incumbere in animo est, itaque nobis proposuimus, ut arte atque ratione ea, qua philologi utuntur, omnia deinceps examinemus, quae de Cypseli rebus apud Herodotum traduntur, simul autem, qua ratione composita sint atque conscripta, aliis allatis exemplis ex Herodoto potissimum desumptis explicemus. Qua data occasione quibus in rebus Herodotus et Nicolaus inter se dissentiant non neglegemus. Videbimus autem, ubi Herodoti narrationi fabularum atque miraculorum vestitum et ornatum poeticum, quibus pius et religiosus scriptor (VIII, 77) veritatem rerum velavit atque abscondidit, detraxerimus, hac quoque in re gravitatem ejus et auctoritatem satis magnam esse, ita ut denuo manifestum fiat, vix in tota antiquitate inveniri posse, qui fide dignior sit. Ex tribus autem oraculis, quae Cypselo edita esse dicuntur, secundum quum vetustissimum sit primo loco tractabimus.

Quum Lacedaemonii Ol. 68, 4 contionem sociorum instituerent eosque adhortarentur, ut Hippiam ad opprimendas Atheniensium opes in patriam reducerent, reductum tyrannum facerent, Sosicles Corinthius magnificam habuit et ardentem orationem, qua ab hoc eos incepto deterreret. Quare ut doceret, quanto populis tyranni essent incommodo et quantae calamitati, egregium illis exemplar proposuit: Cypselidas, Corinthiorum tyrannos; itaque eorum vitas uberius enarrat.

Praedictum enim fuisse Bacchiadis, qui ante tyrannos dominatum Corinthi exercebant, multos eorum a leone quodam interfectum iri; quod oraculum quum nunquam intellexissent, tandem ubi Aetioni, patri Cypseli, similis vaticinatio facta esset, illo oraculo puerum Aetionis significari sensit. Itaque ut primum partum ei puerum esse comperissent, misisse, qui eum occiderent; verum misericordia carnifices commotos noluisse insontem infantem necare itaque infecta re abiisse; sed quum poenituisset, ad caedem patranda revertisse; quum vero puerum a matre provida interea in cumera quadam reconditum reperire non potuissent, Corinthum rediisse; servatum autem hoc modo puerum a vase illo, quae est *κωψέλη*, nomen accepisse. Eandem rem Pausanias annuit, V, 17, 5: *ἐξ ταύτην τὴν λάρνακα Κύψελον τὸν Κορινθίων τυραννήσαντα ἀπέκρουσεν ἡ μήτηρ, ἥνικα τεθνήκτα ἀνευρεῖν σπουδὴν ἐποιῶντι οἱ Βακχίδαί.* deinde: *ἀπὸ τούτου δὲ καὶ ὄνομα Κύψελον τῷ παιδί θέσθαι λέγουσιν.* Tertius testis Nicolaus est fragm. 59 fragm. hist. graec. III ed. C. Müller., qui non minus de oraculo quam de insidiis exponit; sed et percussores plus semel advenisse et, quod est gravissimum, cumerae puerum salutem debere ignorat. Denique Plutarchus afferendus est, qui in conv. sept. sapient. 21 haec exposuit: *Κύψελον οἱ πεμφθέντες ἀνελεῖν νεογνὸν ὄντα προσομιλήσαντα αὐτοῖς ἀπεκράποντο καὶ πάλιν μετανοήσαντες ἐξήτουν καὶ οὐχ εὔρον, εἰς κωψέλην ὑπὸ τῆς μητρὸς ἀποτεθέντα.*

Quin tota haec fabula sit commenticia, vix dubium esse potest. Nam primum credibile non est, Aetionem oraculum suum, quo praediceretur ipsius filium divinitus missum esse ad regno Bacchiadas spoliandos, — nam verbo *μουνάρχοισι* Bacchiadas indicari facile intellegi poterat — non in intimo pectore abscondidisse, non maximo silentio celasse, sed inconsiderate cum hominum multitudine communicasse. Deinde oraculo Bacchiadarum ipso res futurae tam aperte praedicuntur, ut quum per sapientiam ac rationem non videantur sacerdotes Delphici praesentire talia et praenoscere potuisse, haec vaticinatio post eventum rerum ficta esse et supposita existimanda sit. Cui sententiae id quoque favet, quod Herodotus ipse addit: *τοῖσι τὸ μὲν πρότερον γινόμενον χρηστήριον ἐς Κόρινθον ἦν ἄσημον* et deinde *ἦν ἀτέκμαρτον*; ubicunque enim talia a scriptore adjecta invenimus: non memores fuisse homines vaticinationis alicujus, aut rationem non habuisse, aut non intellexisse, vel simile quid, semper e talibus verbis omnino non editum esse oraculum concludere possumus, praesertim si aliae quoque causae adsint, quibus et oraculum et historia cum eo conjuncta in suspicionem vocetur. Quam sententiam exemplis aliquot licebit comprobare. Primum exemplum exstat Her. I, 13, quo loco Gyges, rex Lydorum, qui jugulato

per insidias Candaule, ultimo Heraclidarum, imperio Lydorum potitus erat, a Pythia Delphica confirmatus in imperio esse narratur; sed simul eam esse minatam, quinto Gygae prognato ultionem illius necis venturam. Posterior enim oraculi pars, qua Croesi clades significatur — (hunc enim in modum Lydorum reges se exceperunt: Gyges, Ardys, Sadyattes, Alyattes, Croesus) — sine dubio spuria est, neque enim quisquam tot aetatibus ante Croesi infortunium divinare potuit et ne Croesus quidem ipse, omnium, ut notum, pientissimus et *Δελφικώτατος* et hercule oraculorum studiosissimus, inscius fortunae Pythiam interrogasset, num longinquum esset suum regnum (I, 55), si exitum cognitum habere potuisset. Possit quis Nicolaum mihi obvertere fr. 49 p. 385, eandem rem eisdem fere verbis referentem, qui ex Xantho, aequali Herodoti vel potius aetate paullo majore, Lydiarum rerum peritissimo, hausierit, quae de Lydorum regibus narraverit. Sed nihilosecius haec vaticinatio ante Croesi calamitatem non magis edita esse potest, quam initium alius oraculi Her. IV, 163: *ἐπὶ μὲν τέσσερας Βάττους καὶ Ἀρκεσίλωος τέσσερας, ὀκτώ ἀνδρῶν γενεάς, διδοὶ ὑμῖν Λοξίης βασιλεύειν Κυρῆνης· πλεόν μέντοι οὐδὲ πειρασθαι παραινέει* non ante ortum est, quam Arcesilaus IV mortuus est et Battus V regnum hereditarium recuperare conatus apud Hesperidas decessit. Quae res tamen C annis ante Arcesilao III praedicta esse fertur. Sed ut redeamus ad id, quod volebamus, illo quoque loco Herodotus ea adscripsit, de quibus agimus: *τούτων τοῦ ἔπεος Λυδοὶ τε καὶ οἱ βασιλεῖς αὐτῶν λόγον οὐδένα ἐποιεῦντο, πρὶν δὴ ἐπεελέσθῃ.*

Prior vero pars illius oraculi quod Gygae datum est, — ut de tota re proferamus, quae sentiamus, — potest sane verum esse. Nam quum jam antea Midas, Phrygiae rex, 'primus barbarorum' Her. I, 14 consuetudine et amicitia Delphicorum vatium usus esset, etiam Gygam, ut totam Mermnadarum gentem, eorum amicitiam favoremque reconciliare sibi voluisse verisimile est; hos vero eo libentius morem Gygae gessisse, quod eum maluissent Lydorum imperium tenere, quam Heraclidas. Qui, ut nunc ab omnibus fere hominibus doctis probatur, ex Assyria oriundi erant et, postquam Ninus Assyrius quum ceteras Asiae minoris terras tum Lydiam sub potestatem redegerat anno 1220 a. Chr. Diod. II, 2, sub regibus Ninivitarum dominatum gerebant. Gyges autem, si Curtii Hist. gr. I, 464 conjecturam sequimur, e Carum gente fuit; nam Caribus satellitibus se cinxit, Caricam securim gerebat, et a Dascylo patre ejus Dascylum Caricum appellatum est. Hunc igitur illi sine dubio Assyriis praeponebant, maxime postquam auri fontem illinc profluentem gustaverunt.

Alius exempli instar nobis oraculum Siphniorum est III,

58, quo praemoniti Siphnii dicebantur esse, ne a Samiis praedonibus opprimerentur. Ne hoc quidem verum esse, ostendit versus tertius, quo nimis scite et perite futurae res indicantur. Addidit autem historicus ad hunc quoque locum: *τοῦτον τὸν χρησμὸν οὐκ οἰοί τε ἦσαν γινῶναι οὔτε τότε εὐθύς οὔτε τῶν Σαμίον ἀφειγμένων*. Sed quid, quaeso, tam difficile erat Siphniis intellectu? Nam ut tertium versum non perspexissent, hoc saltem bene intellexissent, nisi mente capti erant, illo tempore, quo curiam albis lapidibus extruxissent forumque albis porticibus circumdedissent, pericula et discrimina affore. Nam vox *λευκός* est terminus technicus, quo ea aedificia vocantur, quae *λευκῷ λίθῳ* facta sunt, ut Pind. Nem. IV, 81: *στάλαν Παρίου λίθου λευκοτέραν*. Jam quaero: num Siphnii curia illa exstructa ipsi sua sponte adduxissent periculosam aetatem? Nonne potius omne marmor ex insula removissent? Quoniam igitur eos aedificavisse scimus, illud oraculum revera non accepisse concludendum est. Itaque videmus, etiam hoc loco sententiam illam ab Herodoto adjectam testimonio falsitatis esse.

Similiter se habet oraculum, quod Grino, Theraeorum regi, Pythia edidisse apud Theraeos ferebatur. Nam quum olim Delphos advenisset, ut Apollinem consuleret, jussum esse ab illo in Libyam coloniam deducere. Quod propter senectutem ipsum refutasse et rejecisse, sed comites digito monstrantem alii ut mandaretur rogasse. Jam addit Herodotus: *μετὰ δὲ ἀπελθόντες ἀλογίην εἶχον τοῦ χρηστηρίου, οὔτε Λιβύην εἰδότες ὅκου γῆς εἶη, οὔτε τολμῶντες ἐς ἀφανὲς χρῆμα ἀποστέλλειν ἀποικίην*. Sed neque verisimile est, sacerdotes regi difficilem navigationem praecepisse, neque si fecissent, ausurum fuisse insulae exiguae regem, voluntati divinae obloqui. Deinde num credi licet, Minyas, Argonautarum prolem, gentem inde ex antiquissimis temporibus navigatione et itineribus maritimis omnium longe clarissimam, qui semper strenuos se ac promptos et ad quaeque pericula tentanda paratissimos praestiterant, aut ignorasse Libyam aut a periculis discriminibusque abhorruisse? Nam Minyas Theram incoluisse, notum est, qui ex Boeotia in Lemnum, inde Lacedaemonem venerunt, tum vero propter superbiam expulsi partim in Triphyliam se contulerunt, partim cum Thera multisque Aegidis illam insulam petierunt, tunc temporis *Καλλιόπην* appellatam, post a duce colonorum Theram. Libyam autem ignorare non potuerunt nautae illi egregii. Nam circa Ol. 20 Aegyptus Psammetjchi benevolentia ac humanitate Phoenicibus ac Jonibus patefacta erat, quia Jones et Cares dominatum appetenti maximo fuerant subsidio Her. II, 154. Itaque Pelusii multitudo Jonum domicilium collocarat, ad Canopum cum XXX navibus Milesii advecti castellum extruxerunt.

rant Strabo 801, ex quo mox Naucratis oppidum exstitit Her. II, 178. Praeter Aegyptum etiam Ammonis oasis et omnis Africae ora adibatur, cum interioribus Africae gentibus, item Aethiopicis et Arabibus commercium institutum est, quin extra Herculis columnas navigabatur. Grinus autem vixit Ol. 30. Num igitur quae a deo imperata erant et ipsorum naturae et studiis optime conveniebant, per mollitiam aut inertiam neglexerint? Videmus igitur, hoc quoque oraculum subditicium esse.

Aliud ejusdem modi oraculum falsum Cyrenensium regi Arcesilao III datum esse tradit Her. IV, 163. Qui quum ob arrogantiam et injuriam ejectus ex urbe patria Samum ad Polycratem confugisset, Apollinem de reditu interrogasse et oraculum accepisse dicitur aenigmatis haud dissimile et ad rerum seriem accuratius accommodatum, quam ut verum esse possit. Itaque etiam Arcesilao τοῦ μαντηῖου οὐκ ἐμέμνητο, quo amphoras in fornace comburere vetitus esse fertur, quod profecto memoria et cogitatione tenuisset, si accepisset. Vasa enim fictilia, a quibus imago comparationis desumpta est, quum mercatura Cyrenensium late vigente complura ac varia frugum genera exportarentur, notissima sine dubio et usitatissima eis erant. Sed nihilominus Arcesilao redux adversarios in turri inclusos materia circumdata cremavit, quod non fecisset, si divinitus vetitus fuisset. Jam vero in eis quae sequuntur contraria ratione res tractatur, ac tamen ad eundem finem pervenimus. Jam enim non neglexisse, sed nimis curasse oraculum, et ob hanc ipsam causam per errorem falsus esse fingitur Arcesilao. Nam quum perspexisset, quale scelus contra dei voluntatem admisisset, saltem in ceteris oraculi respectu habito Cyrenam reliquisset, ideo quod praeceptum esset ab Apolline, si tamen amphoras cremasset, ne intraret εἰς τὴν ἀμφίρροντον. Sed ne haec quidem vera esse possunt. Nam primum quomodo potest Apollo, si aliquid jubet, ejus qui jubetur arbitrio et licentiae permittere, utrum praecepta divina perficere libeat necne? Deinde quomodo potest Arcesilao verba dei, μὴ ἐσέλθῃς εἰς τὴν ἀμφίρροντον intelligere: ne remaneas Cyrenae? Quamquam enim etiam Cyrene urbs ἀμφίρροντος appellari potuit, vox tamen μὴ ἐσέλθῃς cogit, ut de alia quadam urbe cogitetur, nam Cyrenae rex habitavit. Et Barca quidem urbs, cujus ruinas, in planitie montosa et vivae aquae fontibus insigni nuper invenit Della Cella, adeo erat circumflua, ut hoc tempore Arabes gloriari possent, numerum fontium Barcaeorum convenire numero dierum anni. Recessit autem revera Arcesilao non δειμαίνων τὸν κερχρημένον θάνατον\*, sed quia, animis civium ob crudelitatem quam maxime a se abalienatis, non jam Cyrenae tutum se duxit. Barcae autem cum socero interfectum

eum esse ubi Herodotus narravit, etiam in fine religiosa ratione haec addit: Ἀρχεσίλωος μὲν νυν εἴτε ἐκὼν εἴτε ἀέκων ἀμάρτων τοῦ χρησμοῦ ἐξέπλησε μοῦραν τὴν ἑωνιοῦ.

Ultimo exemplorum loco licebit ea afferre, quae de notissima illa Croesi perscrutatione et exploratione veritatis oraculorum Herodotus exposuit I, 46 sqq. Nam hoc quoque loco certe similibus scriptoris verbis adducimur, ut omnia alia oracula, (ut de Delphis nunc taceam), consulta esse negemus. Nam quum et de ceteris dicat: οὐ μὲν νυν τὰ λοιπὰ τῶν χρησθησίων ἐθέσπισε οὐ λέγεται πρὸς οὐδαμῶν (I, 47), et ne ea quidem, quae Amphiarus responderit, tradita esse profiteatur (49), existimandum est, haec omnia exornationis tantum et gloriae causa introducta esse. Nam ne Delphicum quidem oraculum verum esse quisquam putaverit; fictum enim a Delphicis sacerdotibus ad Apollinem honorandum jam inde dilucidum est, quod, ut jam Hüllmannus pronuit p. 83, non erat consulentium, diem qua interrogarent, constituere, sed certis tantum diebus deus se eis praebebat, qui ejus auxilium petebant. Nam primum semel tantum quotannis respondisse videtur, postea, Plutarchi tempore, singulis mensibus semel. Plut. quaest. Gr. 8, Pyth. orac. 9.

His exemplis satis mihi videor ostendisse, ejusmodi verba, de quibus egimus, testimonio falsitatis tum esse, quum alia quoque vestigia eam indicent. Itaque quum etiam ad illud Bacchiadarum oraculum, de quo sermo erat, illa quam attulimus sententia adjecta sit, concludere possumus inde quod adjecta sit, illud oraculum commenticium ac ficticium esse. Haec de oraculo; fabulam autem, ut hanc quaestionem continuemus, non magis veram esse, ex aliis causis apparet. Etenim neque primo percussores illi adeo misericordia commoti fuissent, ut pusionem ne interficerent, neque deinde latebrae illae diligenter eos circumspicientes fefellissent. Omnino mirabilior est et portentosior tota res, ut ipse Herodotus coactus sit *Θείην πύχην* introducere. Denique, quod est maximum, Cypselum a cumera illa, quae est *κυψέλη*, denominatum non fuisse, certo evinci potest. Nomen enim Cypseli antiquius erat quam hic puer, qui postea Corinthiorum tyrannus factus est, et proprium atque hereditarium ejus gentis, ad quam Cypselus pertinebat. De qua Herodotus haec dicit: *Ἡεῖων* (pater Cypseli) ὁ Ἐχεκράτης, δῆμον μὲν ἐκ Πέτρης ἔων, ἀτὰρ τὰ ἀνέκαθεν Λαπίθης καὶ Καινίδης. Cujus sententiam si sequimur, dicendum est, Cypseli majores ex Thessalia oriundos, genere autem atque origine Lapithas fuisse; qui populus una cum Perrhaebis non modo valles Penei et Titaresii sive Europi incoluerat, sed multa eaque ampla et praeclara Thessaliae oppida tenuerat; qui cum Minyis potissimum et Jolciacis et Boeoticis item cum Phlegyis arc-

tissima necessitudine cohaerebat, ut Od. Müller demonstravit itaque pars erat Aeolensium eorum, qui nominibus Crethe Athamantis Sisyphi Salmonei Peliae Nelei significantur et comprehenduntur. Reges autem Lapitharum, Elatus, Caeneus, Coronus, Ixion, Phlegyas alii clarissimi erant multumque antiquis fabulis concelebrati. Qua autem ratione Lapithae illi Corinthum advenerint, docet Paus. II, 4, 4: *ἀπόγονος δὲ ἦν Κίψελος Μέλανος τοῦ Ἀντιάσου. Μέλανα δὲ ἐκ Γονούσσης τῆς ὑπὲρ Σικυῶνος στρατεῖονια σὺν Δωριεῖσιν ἐπὶ Κόρινθον Ἀλήτης τὸ μὲν παρανίκια ἀπείπονιος τοῦ Θεοῦ παρ' ἄλλους τῶν Ἑλλήνων ἐκέλευσεν ἀποχωρεῖν, ἕστερον δὲ ἀμαρτῶν τοῦ χρησμοῦ δέχεται σύνοικον*, et paullo accuratius V, 18, 7 et 8. Sumendum igitur est, regionem Sicyoniacam jam ante Heraclidarum in Peloponnesum reditum a Lapithis et Minyis habitatam esse, Dorum autem adventu quum per totam Peloponnesum multitudo pristinorum incolarum moveretur ageretur turbaretur, partim autem advenis resistere conata vinceretur, partim sua sponte cederet aut Doribus se aggregaret, etiam Lapithas illos Sicyone relicta cum Aleta Heraclida adversus Corinthum profectos esse. Sed quando Lapithae aut Minyae ex Thessalia Sicyonem petierunt et qua de causa? Constat, postquam Thessali Thessaliam occupaverint, aboriginum maximam partem ex hac terra discessisse, et Arnaeos quidem in Boeotiam commigrasse, Minyas in Messeniam Atticamque, Dores ad Doridem contendisse. Facile igitur cogitari potest, Minyarum et Lapitharum gentes aliquot in Achajae ora sedem collocasse, nonnullis autem aetatibus post Doribus se adjunxisse. Sed etiam ante id tempus antiquissimis saeculis Aeolenses illos terra marique Peloponnesum petiisse et quum omnia litora Achajae Elidis Pisatidis Triphyliae Messeniae Laconiae coloniis suis cinxisse et obtinuisse, tum maxime oram Sicyoniacam et Corinthiacam adiasse, pro certo haberi potest. Nam etiam Minyae illi, qui in Triphylia hexapolin condiderunt, propinquas gentes et genere necessarias invenerunt (Curt. Pelop. II, 75). — Nelei enim et Nestoris regna in illa regione floruerant —; prorsus eodem modo Antasus quoque et Melas quum Corinthum profecti essent Aeolenses et Minyas et Lapithas propinquitate sibi conjunctos reperisse putandi sunt. Quare etiam Thucydides, auctor gravissimus, antiquissimos Corinthi incolas Aeolenses appellat IV, 42. Eadem res et antiquis fabulis indicatur et multis praeterea aliis comprobatur vestigiis; nam oppidorum fluminum montium nomina cum Thessalicis congruunt ac concinunt, item religiones eae, quae Minyarum et Lapitharum propriae sunt, non minus hic reperiuntur quam illic. Ex quibus nonnulla hoc loco afferenda videntur. Primo loco Sisyphus commemorandus est, unus ex Aeoli quatuor filiiis,

quem Corinthi regem fuisse et Acrocorinthi degisse satis notum est. Aequae gravis est fabula quae est de Jasone et Medea; fuit enim Jason Minya et Argonautarum dux. qui Colchide reversus Medeam secum Corinthum adduxit ibique ab ea vexatus est, ut descripsit Euripides. Medae autem liberorum sepulcrum in via Sicyoniaca situm etiam Pausanias aspexit II, 3, 6. Jason autem etiam Argo navem in Isthmo Neptuno dedicavit Apollod. I, 9, 27. Diod. IV, 53; simili ratione Argonautae ad Pellenam appulisse dicuntur, unde portus Pellenae *Ἀριστοναύται* appellatus esset Paus. II, 26, 14. Porro Epopeus rex Sicyonis et Corinthi vetustissimus, qui nomen ab Epopa accepit, nam Stephan. Byz. v.: *Ἐπώπη: οὕτως, inquit, ἢ Ἀκροκόρινθος ἐκαλεῖτο διὰ τὸ Σίσυφον ἐκεῖ ἰδεῖν τὴν Αἰγίνης ἀρπαγὴν ὑπὸ τοῦ Διός· τὸ ἐθνικὸν Ἐπωπεύς καὶ Ἐπωπίτης*, disertis verbis apud Paus. II, 6, 1 ex Thesalia advenisse traditur: *ὑπὸ τούτων τὸν καιρὸν Ἐπωπεύς ἀφικόμενος ἐκ Θεσσαλίας ἔσχε τὴν ἀρχήν*. Eo tempore Sicyon et Corinthus unius regno contentae sunt, nam filii ejus Corinthus et Sicyon fuerunt, Paus. II, 1, 1, qui dominationem inter se diviserunt. Epopeus autem Minervae Dianae Apollinis religiones induxit Paus. II, 11, 1, sepultusque Sicyone est. Necessitudinem autem, quae antiquitus inter Sicyonem et Thebas intercesserit, id quoque indicat, quod ex Epopeo Antiopa Thebana dicta est Zethum et Amphionem procreavisse apud Asium hunc in modum:

*Ἀναύπη δ' ἔειπε Ζῆθον καὶ Ἀμφίονα δῖον  
Ἄσωποῦ κόρη ποταμοῦ βαθυδιήεντος  
Ζηγί τε κυσσαμένη καὶ Ἐπωπέϊ ποιμένι λαῶν.*

In eadem regum Sicyoniacorum serie etiam Coronus locum habet, cujus nomen cum Corono Lapitharum rege convenit; a quo Boeotorum Coronea urbs et Messeniacorum Corone appellatae sunt. Sed etiam, ut Steph. Byz. verbis utar, *μεταξὺ Σικυῶνος καὶ Κορίνθου πόλις ἔστι Κορωνεία*. Tum quod Oedipus a pastoribus Polybi Corinthii in radice Cithaeronis inventus est, etiam hoc mihi non minus, quam Od. Müllero Orchom. 231 et Curtio Pelop. II, 484 videtur indicare, quam arcte cum Minyeia Boeotia Corinthus cohaeserit. Denique hoc quoque commemorandum est, prope Sisyphi tumulum etiam Nelei sepulcrum in Isthmo ostentum esse Paus. II, 2, 2.

Pervenimus ad oppidorum et locorum nomina. Ac primum huc pertinet vetustius nomen ipsius Corinthi, haud diversum ab oppido quodam Thessalico: Ephyra. Nam ita dicit Stephanus: *ἔστι καὶ ἄλλη Ἐφύρη Κράννον λεγομένη, sive ea quae deinde sequuntur, hoc modo corrigis cum Meineckio, ὡς φησι Κινέας ὁ ἡγῶρ β περὶ Θεσσαλίας καὶ Ἐπαφρόδιτος, sive δευτέρα ejicis hunc in modum: ὡς φησι Κινέας*

ὁ δῆτωρ καὶ Ἐπαφρόδιτος, περὶ Θεσσαλίαν. Etiam schol. Pind. Nem. VII, 53, quum quatuor Ephyras enumeret et primo loco Corinthum posuerit, pergit *ἑτέραν δὲ τὴν περὶ Θεσσαλίαν*. Homeri autem verba Il. N. 301:

*Τὼ μὲν ἄρ' ἐκ Θρηῆκης Ἐφύρους μέτα Φωρησέσθου  
Ἦε μετὰ Φλεγύας μεγαλήτορας,*

Strabo 330, 16 et 442 et Steph. v. *Κράννων* recte ita intellegunt, ut Ephyros Crannonios, Phlegyas autem Gyrtonios dici arbitrentur, nam pervenit ad nostrum tempus nummus quidam, in quo haec inscripta sunt *ΚΡΑΝΝΟΥ ΕΦΥΡ*, quae si Ahrensiū Dial. Aeol. p. 221 sequimur, complenda sunt: *Κραννονίου Ἐφύρου*. Est autem Gyrton, ut Strab, verbis utar 329, 14 *Περραιβική πόλις καὶ Μαγνήτις, ἐν ἣ Περιθους καὶ Ἰξίων ἐβασίλευσαν*, Crannonem vero, quae urbs C stadia a Gyrtone aberat, Simonides apud eundem 441 disertis verbis Lapitharum oppidis adnumerat. In Elide vero Minyae, qui hanc puoque terram ex antiquissimo tempore coluerant, non solum Ephyrae urbi Thessalicum et patrium nomen indiderant, sed etiam flumini Peneo, in cujus vicinitate Salmone condita erat, ubi Salmoneus filius Aeoli regnavit Strabo 356. — Haec Ephyra Eleia etiam Selleenti fluvio adjacebat, ut ait idem 338; qui hoc quoque paullo infra scribit: *ἔστι δὲ καὶ περὶ Σικυῶνα Σελλήεις ποταμὸς καὶ Ἐφύρα πλησίον κώμη*, unde videmus hunc quoque Sicyonicum vicum et fluvium a Minyis nomen accepisse.

Porro Gonoessa illa ἣ ὑπὲρ Σικυῶνος, quam Melas Cypseli proavis habitaverat, congrua est Thessalico oppido, nam Steph. Byz. ita nos docet: *Γοννοῦσσα πόλις Περραιβίας* item Eustath. ad Hom. Il. B. 573. Quod nomen Paus. VII, 26, 13 ab incolis tradit narratum esse antiquitus Gonoessam fuisse et sic etiam apud Hom. Il. B. 573 legi:

*οἱ δ' Ὑπερησὶν τε καὶ αἰπεινὴν Λονόεσσαν*, quod Pisistratus per errorem commutavisset in *Γονόεσσαν*. De qua re quid statuendum sit nescio; apud Homerum quidem in editionibus legitur *Γονόεσσα*; eandem formam exhibent codices, scholiastes Venetus, Eustathius. Deinde Asopus fluvius is qui Sicyonis moenia alluit, cognominis est ei Asopo, qui Boeotiam perfluit; similiter cum Plataeis, quae urbs a fontibus ac capite Boeotici Asopi haud procul abest, Sicyoniorum Plataeae conveniunt, nam *ἔστι καὶ ἐν τῇ Σικυωνίᾳ δῆμος Πλαταιαί, ὅθεν περ ἦν Μνασάλκης ὁ ποιητής* ut ait Strabo 412. Denique Petra quoque potest afferri, qui est demus ille, quem Aetion, pater Cypseli, incolebat; nam in Olympo Thessalico apud Libethrium ejusdem nominis oppidum exstabat Livius 39, 26; 44, 32 quod cum Azoro, Dolicha, Pythia, Curtius Gött. Gel. Anz. 1861 p. 1382 oppidis Perrhaeborum adnumerat; item commemorantur apud Pausaniam in Boeotia duo

fontes lactis Libethrias et Petra IX, 34, 4, et in Elide antiquus pagus Petra VI, 24, 5. Tum Titana potissimum pro nostra sententia facit, clarum illud oppidum in saluberrimo loco situm, quod ab aegrotis valetudinis studiosis quam maxime frequentabatur, quod nuper Rossius in Asopi valle invenit; Steph. enim sic scripsit: *Τίτανα χωρίον τῆς Σικωνίας, ἔσται καὶ Τίτανα πόλις Θεσσαλίας*. Commemoratur autem etiam apud Hom. II. B. 735 Titanus mons Thessalicus οἱ δ' ἔχον Ἀσκήριον Τιδανίου τε λευκὰ κάρηνα; cujus etiam Strabo meminit 439; quem Homerus aliis Minyarum oppidis aggregat. — Sed quis est, cui si Titana commemoratur, non Aesculapii in mentem veniat, cui Titana omnem qua gaudebat gloriam debuit atque claritatem, ad cujus aedem celebratissimam ex omnibus terris homines conveniebant ut bonam valetudinem a deo peterent? Nec solum Aesculapius, sed etiam Coronis mater et Hygieia Titanæ adorabantur et colebantur. Erat autem Aesculapii cultus atque religio nulli magis propria quam Minyis et Lapithis et Phlegyis, id quod etiam fabulis ita exprimebatur, ut Aesculapius filius Apollinis et Coronidis, quæ est Phlegyæ gnata sororque Ixionis, diceretur fuisse. Quam rem ostendit praeclarum hoc Pythiæ oraculum Paus. II, 26, 7, quod non possum huc non transscribere:

*ὦ μέγα χάριμα βροτοῖς βλασίων Ἀσκληπιεῖ πᾶσιν,  
ὄν Φλεγυῆς ἔτακτεν ἔμοι φιλότημα μιγεῖσα  
ἡμερόεσσα Κορωνίς ἐνὶ κραναῇ Ἐπιδαύρω.*

Certo igitur Aesculapii religio a Minyis et Lapithis Titanam et Sicyonem Corinthum Cenchreas (Paus. II, 10, 2; II, 4, 5; II, 2, 3) allata est, sicut Paus. refert II, 11, 5, ab Alexanore, Machaonis filio, Aesculapii nepote, aut recta via aut Epidaurō, ut ait idem II, 10, 3: *φασὶ δὲ σφισιν (Sicyonem) εἶξ' Ἐπιδαύρου κομισθῆναι τὸν θεὸν ἐπὶ ζεύγους ἡμιόνων, δράκοντα εἰκασμένον, τὴν δὲ ἀγαθοῦσαν Νικαγόραν εἶναι Σικωνίαν, Ἀγασικλέους μητέρα, γυναῖκα δὲ Ἐχειμόν* (quæ nomina simillima sunt nomini patris Aetionis: Ἐχεκρατῆς). Nam etiam Epidaurum, ubi Aesculapii cultus ac veneratio maxime florebat et vigeat, Minyæ eum adduxerunt. Originem autem ac fontem hujus religionis in universum Thessaliam, et, ut accuratius statuamus, Triccam, oppidum Lapitharum, esse, quum multa alia vestigia indicant, tum maxime tres Strabonis loci. Dicit enim primo 437: *Τρίκη, ὅπου τὸ ἱερόν τοῦ Ἀσκληπιοῦ τὸ ἀρχαιότατον καὶ ἐπιφανέστατον*, tum 360 Gereniæ in Messenia, a qua *Γεργήμιος ἵπποτὰ Νέσιωρ* cognomen sumpsit, ostendi *Γρικκαίου ἱερόν Ἀσκληπιοῦ, ἀφιδρομα τοῦ ἐν τῇ Θεσσαλικῇ Τρίκῃ*; denique 374 morem Epidauriorum morbos in tabulis inscribendi e Tricca oriundum esse. Jam occurrunt nobis quæ conjecit Curtius Pelop. I, 484. Nam quum supra Pellena in montibus, qui Sythoni flumini adjacent, haud pro-

cul a Mysaeo clarum Aesculapii templum situm esset, nomine Cyrus, in eadem autem regione etiam hodie oppidum Triccala inveniatur, conjecturam proposuit, antiquitus illi templo non Cyro nomen, sed Triccae fuisse; quae si probatur, hic quoque locus colonia Minyarum fuisse optimo jure dici potest. Neque vero Aesculapii solum, sed etiam aliorum numinum, quae sunt Minyarum et Lapitharum propria, religiones cultusque in illa ora reperiuntur. Nam primum Bacchus quum Corinthi Paus. II, 2, 5 tum maxime Sicyone II, 7, 5 colebatur; de qua re cf. Curt. Pelop. II, 492. Cum Baccho autem quum Gratiae arcte implicitae essent et cohaerent, quibus imprimis Orchomenus Boeoticus insignis erat, ne earum quidem religio Corintho defuit et Elidi; nam de Corintho testatur Pind. Ol. XIII, 18:

*ταὶ Διωνύσου πόθεν*

*ἔξέφρανεν σὺν βοηλάτῃ χάριτες διδυραμβῶ;*

de Elide autem Plut. quaest. gr. 36, qui hoc Eleorum carmen affert: *ἔλθειν ἦρω Διώνωσε, ἄλιον ἐς ναὸν ἄγρον, σὺν Χαρίτεσσιν ἐς ναὸν τῷ βοέῳ ποδὶ θύων. "Ἄξις ταῦρε. "Ἄξις ταῦρε.* Porro ad Neptunum si transimus, quem C. H. Lachmannus Spartan. Verfassung S. 37 et Boeckhius über die v. H. v. Prokesch entdeckten Inschr. v. Thera Abh. d. Berl. A. d. W. 1836 S. 49 Minyis et Jonibus tribuunt, uno verbo monere sufficit de Neptuni Isthmii celebratissima veneratione atque cultu; et qui cum eo conjunctus est, Melicertes-Palaeamon, cujus in fabulis Minyarum saepenumero mentio injicitur, cf. Müller Orch. 169, is a Sisypho adductus dicebatur et Isthmi non solum particeps, sed dominus atque patronus erat fanumque ejus, quod Graeci *ἄδντιον* appellabant, sanctissimus totius Isthmi locus. Postremo ea videntur afferenda esse, quae Boeckhius p. 51—53 profectus ab eis quae Od. Müller aliquoties tetigerat magis quam demonstrarat, docuit. Ostendit enim, sensisse Minyas peculiari quodam modo, quique ab usitatis Graecorum opinionibus longe recedat, de morte, de Orco, de inferis et floruisse apud eos diligentem quandam mortuorum religionem atque observantiam. Cujus rei quum multa ille signa collegerit, nos pauca addamus, ex quibus patefieri videtur, etiam in hac regione, de qua agimus, hunc morem atque cultum viguisse. Itaque id quoque testimonio esse poterit, Minyas antiquitus ibi habitasse. Boeckhius p. 51: Therae mortuos heroum loco adoratos ac cultos esse ostendit (*ἀφηρωίζειν*). Simili modo Sicyonii *τὰ πολλὰ εἰοκότι τρόπον θάπτουσι· τὸ μὲν σῶμα γῆ κρύπτουσι, λίθον δὲ ἐποικοδομήσαντες κρητῖδα κίονας ἐφιστάσι καὶ ἐπ' αὐτοῖς ἐπίδημα ποιοῦσι κατὰ τοὺς αἰετοὺς μάλιστα τοὺς ἐν τοῖς ναοῖς· ἐπιγραμμα δὲ ἄλλο μὲν ἐπιγράφουσιν οὐδὲν, τὸ δὲ ὄνομα ἐφ' ἑαυτοῦ καὶ οὐ πατρόθεν ὑπειπόντιες κελεύουσι τὸν νεκρὸν καὶ*

ρειν Paus. II, 7, 2. Ἄετωμα autem semper religionem et deorum cultum indicat. Porro Medea Hecatam omnium maxime veneratur; ab ea enim venenorum scientiam ac medicamentorum cognitionem et omnem artem magicam edocta est. Eur. Med. 394:

μὰ τὴν δέσποιναν, ἣν ἐγὼ σέβω  
 μάλιστα πάντων καὶ ξυνεργὸν εἰλόμην  
 Ἐκάτην μυχοῖς ναίουσαν ἐστίας ἐμῆς.

Fuit autem eadem, ut demonstravit O. Müller Orchom. 264 sqq. sacerdos Junonis Acraeae sive Bunaëae, ut Paus. eam appellavit II, 4, 7, quae ad Corinthum non minus quam ad Jolum pertinebat, et adnumeranda est eis numinibus, quae ad Orcum atque inferos spectant. Instituisse autem ipsa Medea dicebatur in honorem liberorum suorum in Junonis Acraeae templo sepultorum ad expiandam et reconciliandam deam eos ritus atque ea sacrificia, quae ei offerebantur. Eur. Med. 1387:

γῆ δὲ τῆδε Σισύφου  
 σεμνήν ἐοριήν καὶ τέλη προσάψομεν  
 τὸ λοιπὸν ἀντὶ τοῦδε δυσσεβοῦς φρόνον.

Et quum primum infantes immolarentur ut videtur, postea ea religio ita commutata est, ut ex nobilissimis familiis XIV pueri eligerentur, qui tonsis crinibus et nigris vestibus indutis per anni spatium planctibus atque carminibus mysticis numen celebrarent. Philostrat. heroic. XIX, 14 p. 740. Fortasse etiam Diana Pheraea, quae et Pheris et Corinthi honorabatur, huc pertinet, cujus simulacrum ligneum Pheris Corinthum advectum esse Paus. testatur II, 10, 7; Pheras autem Strabo 443 inter Lapitharum oppida refert. — Deinde in Periandri ipsius vita exemplum talis cultus occurrit, de quo Herodotus obscuram narrationem fert V, 92, 7. Nam quum Melissa uxorem gravidam ictu pedis aut scabello interfecisset Diog. Laert. I, 94, misisse ad ejus oraculum fenebre ad Acherontem Thesproticum, ut de pecunia quadam, quam hospes quidam apud se deposuisset, eam consuleret. Quae quum non ante se responsuram edidisset, quam vestimenta induisset — nudam enim se esse et frigere —, omnes Corinthiorum feminas in unum eum congregasse, congregatas spoliasse atque exuisse, concremasse autem vestitus in honorem Melissaë. Quamquam Pausan. II, 28, 7 Melissaë sepulcrum apud Epidaurum vidit. Denique mentio injicienda est religionis Plutonis, quae Elide florebat Paus. VI, 25, 2, qui addit: ἀνθρώπων δὲ ἂν ἴσμεν μόνοι υμῶσιν Ἄιδην Ἥλειοι. Concludimus hanc totam disquisitionem allatis Od. Mülleri, gravissimi auctoris verbis Orch. 134: Es bedarf in der That kaum eines weitern Beweises, dass die Sage, welche nur jene 4 Heroen als Aeolssöhne nannte, 4 Stammväter eng verwand-

ter Völker damit habe verbinden wollen und dass demnach die vordorische Bevölkerung von Korinth, welche Thukyd. 4 42 Aeoler nennt, mit den Minyern, den Jolkiern und dener zu Salmone gleicher Herkunft gewesen.

Sic aliquot testimoniis regionem in qua Corinthus et Sicyon conditae essent, antiquitus a Minyis Lapithisque cultam esse demonstrasse nobis videtur. Itaque ea, quae Herodotus et Pausanias de Cypseli origine tradiderunt, dignissima sunt, quibus fidem impertiamus; nihil igitur prohibet, quominus Cypseli gentem ad Minyas et Lapithas eos, qui et ante hominum memoriam et tempore doricae migrationis Corinthum pervenissent, pertinuisse credamus. Sed ut ad illud redeamus, unde profecti eramus, ut ostenderemus Cypseli nomen non a cypsela illa ortum esse, sed et antiquiore tempore et aliis locis exstitisse, jam videndum erit, num etiam alibi, ubi in hoc nomen incidamus, Minyas fuisse, qui habuerint pari modo demonstrari possit. Quod si probaverimus, nostro jure statuere poterimus, Cypseli nomen illarum gentium proprium atque hereditarium fuisse.

Alius Cypselus Atheniensis fuit et pater ejus Miltiadis, qui ex Pythio oraculo a Paeoniis Chersonesum Thracicam arcessitus, ut eos ab finitimis gentibus defenderet, regnum ibi magnificum atque amplum constituit. Etiam castellum quoddam haud procul a Chersoneso illa ad Hebrum flumen situm, cui Cypsela nomen fuit, apud Strabonem saepissime commemoratur, quod Miltiadem condidisse atque de suo patre appellasse verisimillimum est. Cypselus autem et Miltiades num ex Minyarum aut Lapitharum gente fuerunt? De Miltiade Herodotus ait VI, 35: *ἑὼν οἰκίης τεθριπποτρόφου, τὰ μὲν ἀνέκαθεν ἀπ' Αἰακοῦ τε καὶ Αἰγίνης γεγονώς, τὰ δὲ νεώτερα Ἀθηναίος, Φιλαίου τοῦ Αἰαντος παιδὸς γενομένου πρώτου τῆς οἰκίης ταύτης Ἀθηναίου.* Similis locus est apud Pherecyd. fragm. 20, mutilus ille quidem, sed restitutus a Carolo Müllero; ibi enim stemma Philaëdarum affertur et jam si hunc sequimur ordo est hic: Tisander, Hippoclidēs, Cypselus, Miltiades Chersonesius, Cimor, Miltiades Marathonius. Certum igitur est, Cypselum ad gentem Philaëdarum pertinuisse, qui ex Aegina et Salamine in Atticam antiquitus sedes transtulerint; quod etiam Plut. Solon 10 confirmat: *τὸν δὲ Σόλωνα, recitatis versibus Homericis II. B, 557, φασὶν ἀποδεῖξαι τοῖς δικασταῖς, οὐ Φιλαῖος καὶ Εὐρυσάκης, Αἰαντος υἱοὶ, Ἀθήνησι πολιτείας μεταλαβόντες παρέδοσαν τὴν νῆσον (Salamina) αὐτοῖς (idem ait Paus. I, 35, 2) καὶ κατώκησαν ὁ μὲν ἐν Βραυρωῶνι τῆς Ἀτακῆς, ὁ δὲ ἐν Μελίτῃ. καὶ δῆμον ἐπώνυμον Φιλαίου τῶν Φιλαῖδων ἔχουσιν;* et videtur Sophocles idem annuere, nautas Ajacis *γενεᾶς χθονίων ἀπ' Ἐρεχθιδᾶν* dicens Aj. 200, et ipsum Ajacem, quum in eo sit, ut se ipse interficiat, valedi-

cendi causa haec exclamantem faciens 861:

*κλειναὶ τ' Ἀθῆναι καὶ τὸ σύντροφον γένος.*

Sed quid Philaidis erat cum Lapithis? Jam evolvamus Steph. Byz. qui haec dicit: *Φιλαΐδαι δῆμος τῆς Αἰγίδος φυλῆς, ἀπὸ Φιλαίου τοῦ Αἰάντος νιοῦ καὶ Λυσίδης τῆς Κορώνου τοῦ Λαπίθου.* Dicendum igitur est, nepotes Ajacis ubi in Atticam devenissent, cum Lapithis ibi affinitate se conjunxisset et Braurone habitasse. Sed quomodo Lapithae Atticam tetigerunt? Traditum est, etiam alias Lapitharum et Minyarum gentes in Atticam refugisse, sine dubio post Thessalicam migrationem. Primum certum est, Munychiae in Attica Minyas consedissee. Sic enim dicit Hellan. ap. Diod. apud Ulpian. ad Dem. de corona 73 C; fragm. 71 Müller: *Ἐκλήθη δὲ Μουνύχιον, ὡς φησὶν ὁ Διόδωρος παραφέρων τὰ Ἑλληνικόν, λέγοντος ὅτι Θραῶκες ποτε στρατεύσαντες κατὰ τῶν οἰκούντων Ὀρχόμενον τὸν Μινύειον τῆς Βοιωτίας ἐξέβαλλον αὐτοὺς ἐκεῖθεν. Οἱ δὲ ἐξ-ἀναστάντες ἦλθον εἰς Ἀθήνας ἐπὶ Μουνύχου βασιλέως. Ὁ δὲ ἐπέτρεψεν αὐτοὺς οἰκῆσαι τὸν τόπον τὸν περὶ τὴν Μουνυχίαν. Ὅσως ἐπωνομάσθη παρ' αὐτῶν εἰς τιμὴν τοῦ βασιλέως.* Adde Harpocr. Phot. Suidam v. *Μουνύχια*. Quam rem Curt. de portub. Athen. p. 22 ita corrigit, ut Munychum non Atheniensium regem fuisse, sed ex nomine portus fictum esse dicat. — Cum hac re concinit mira illa similitudo, quae inter pagos Atticos et Theraeos intercedit, de qua exponit Boeckhius l. a. p. 80, et quod Diana Brauronia, nam Braurone Philaidae habitabant, prorsus eadem fuit ac Diana Munychia, ut apparet ex Harpocr. *ἀρκεῖσαι τὸ καθιερωθῆναι τὰς παρθένους τῇ Ἀρτέμιδι τῇ Βραυρωνία.* Eadem dicebatur Diana *λιμενοσκόπος* et *Φεραία* Callim. hymn. Dian. 259 et Paus. II, 23, 5, quam etiam Sicyone cultam esse supra diximus. — Inter Minyas numeranda est etiam gens Perithoidarum, de qua Ephorus apud Suidam scribit: *Περιθοῖδαι δῆμος τῆς Οἰνηίδος φυλῆς ἀπὸ Περίθου τοῦ Ἰξίονος. νόμος δ' ἦν Ἀθήνησι ξένους εἰσδέχεσθαι τοὺς βουλομένους τῶν Ἑλλήνων. Θεταλοὺς δ' ἐξαιρέτως ὑπεδέχοντο διὰ τὴν Περίθου καὶ Θήσεως φιλοξενίαν.* (Immo quod Athenienses benevolenti hospitio Lapithas acceperunt, hinc illa de Peirithoi et Thesei amicitia et consuetudine fabula orta est). *τούτοις δὲ καὶ χώρας ἐμέρισαν, ἣν ἐκάλεσαν Περιοθοῖδας. Ἐφορος ἱστορεῖ ἐν γ'.* Porro gens Coronidarum aut Coeronidarum aut Cyronidarum (Suidas) apud Harpocratem commemoratur; qui Istrum in Atthide de ea verba fecisse testatur; eundem refert *διαδικασίαν* quandam *Κροκωνιδῶν πρὸς Κοιρωνίδας* attulisse, quae a Lycurgo an a Philino composita esset, dubitaret; praeterea adnotasse, tribus nominibus eam gentem appellatam esse: *Κοιρωνίδαί, Φιλίται, Περιοθοῖδαι*. Eadem tria nomina afferunt Suidas et Photius. Et Meyer quidem: de gentilit. Att. conjecit, 'ab

Harpocracione oratorem utercunque sit minus recte esse intellectum, qui fortasse Coeronidarum dixerit alios ex Perithoederum, alios ex Phlyensium *demis* fuisse, tum enim *Φιλιεῖς*, in *Φλυεῖς* commutari vult. Mihi saltem hoc videtur apparere, Perithoedas et Coeronidas si non eadem gens fuerint, certe aliquo modo arcte inter se cohaesisse ob eamque rem etiam Coeronidas pro Lapithis esse habendos, scribendum igitur eorum nomen Coronidas, quam formam etiam Harpocracionis nonnulli libri tuentur. Apud Suidam autem et Photium formam *Κυρωνίδαί* per errorem in ordinem verborum irrepsisse Meyer quoque censet. Notum denique est, etiam Neleidas, Aeolenses antiquitus ex Thessalia ortos, post Dorum in Peloponnesum migrationem Pylo Athenas se contulisse ibique Melanthum Pisistratum Codrum regnasse. Sic videmus, dignissima esse fide ea, quae de Philaidis Stephanus tradidit. Dicendum igitur est, Minyas Lapithasque ex Boeotia et Thessalia Athenas venisse, quorum pars quum cum Aeacidis se conjunxisset, ortam esse gentem Philaidarum. Nam prorsus eodem modo Gephyraei ex Boeotia, Neleidae ex Messenia in Atticam migraverunt. Gens autem Philaidarum una ex clarissimis Atheniensium gentibus fuit multorumque virorum insignium mater: Miltiadis, Cimonis, Thucydidis, Marcell. vita Thuc. §. 2 Schol. Pind. Nem. II, 19, Epicuri Diog. Laert. X, 1; Pisistrati et Solonis. Nam etiam Pisistratum ex ea gente fuisse, testantur Plut. Solon 10 *δῆμον Φιλαϊδῶν ἔχουσαν ὄθεν ἦν Πεισίστρατος* et Pseudo Plato Hipparch p. 228 *Πεισίστρατου νῆστ' τοῦ ἐκ Φιλαϊδῶν*; Plutarchus enim quod eum *ex pago* Philaidarum dicit fuisse, id, cum ab Clisthene demum pagi instituti sint, videtur errori tribuendum, *demum* pro *gente* dicentis.' Meyer. Quare etiam Thucydides dicitur ut Cimonem sic etiam Pisistratum attigisse (Hermippus in vita Marc. p. 3), quacum re id quoque concinit, quod Braurone Pisistrati agri erant, quam Philaidae incolebant. Pisistratus vero quum non minus Neleida fuerit ut notum est, videntur etiam Neleidae, propinquitatis et communis originis memores, affinitatem cum Philaidis iniisse. — Postremo locum Herodoteum affero, qui omnium maxime evincit, vera ea esse, quae Stephanus tradidit. Narrat enim, Clisthenem Sicyoniorum tyrannum, designasse Hippoclidem Philaidam, Tisandri filium, Cypseli patrem, cui Agaristam filiam in matrimonium daret ob eam rem, *ὅτι τὸ ἀνέκαθεν τοῖσι ἐν Κορίνθῳ Κυψελίδῃσι ἦν προσήκων* VI, 128. Haec enim necessitudo inde derivanda est quod utrique Lapithae erant, cujus memoria ne illo quidem tempore exstincta esset. Duncker vero IV, 301 unde noverit, Miltiadem I Cypseli Corinthii generum fuisse, nescio, neque enim ascripsit. Quae si ipse excogitavit, delenda ei erunt verba Herodoti: *τὸ ἀνέκαθεν*. Jam scimus,

Cypselum Atheniensem Lapitham fuisse, quare non opus est, ut alia vestigia hujus rei, qualia supra attulimus, quaeramus.

Sed restat alius Cypselus. Qui fuit rex Arcadiae tempore Doricae expeditionis e prisca Aepythidarum sive Elatidarum gente ortus, Paus. VIII, 5. 6 et Basilide, quod castellum ipse prope Alpheum condidit, Paus. VIII, 29, 5. regnavit ac Cresphonti Heraclidae Meropam filiam in matrimonium dedit. Idem Aepytum nepotem ex Meropa educavit, educatum in Messeniam reduxit Apollod. II, 8, 5 Paus. IV, 3, 7. Ceterum in Arcadia quoque Cypsela castellum quoddam exstabat, cujus Thuc. 5, 33 mentionem facit *ἐν τῇ Παρόρασι κῆ κείμενον ἐπὶ τῇ Σκιρίτιδι τῆς Λακωνικῆς*, quod idem a Mantineensibus exstructum, a Lacedaemoniis dirutum esse tradit. Sed ex nomine concludere possumus, hoc *ἐν τοῖς Κυνέλοις τεῖχος* jam a Cypselo conditum, deinde collapsum et ab illis renovatum esse. Quod autem Od. Müller Dor. I, 63 Cypsela ac Basilidem unam et eandem arcem fuisse conicit, hoc Curt. Pelop. I, 340 videtur jure refutasse, qui in regione, in qua hodie Leondari est, Cypsela sita fuisse putat. Tenuit igitur Cypselus regno atque dominatione in austrina et occidentali Arcadiae parte eos fines, quos Alpheus perfluit, et eosdem locos, ubi postea per Epaminondam Megalopolis condita est. Num hic Lapitha fuit aut Minya? Hoc a veteribus traditum non est, contra Aepythidarum gens indigena ab omnibus habebatur. Omnino enim quum omnes ceteras Graeciae terras ab advenis cultas esse veteres dicerent, Arcadium solam indigenas genuisse et nunquam peregrinos incolas habuisse existimabant; advenisse igitur olim exteras gentes in Arcadium negabant. Ac tamen primum certe hoc ex testimoniis veterum apparet eos putasse ex duobus populis incolas Arcadiae coaluisse. Etenim si seriem regum Arcadicorum examinamus, qualem Pausanias in initio libri VIII descripsit, primum indigenas invenimus, quorum nomina Pelasgus, Lycaon, Nyctimus initia ac primordia humanitatis repraesentant, tum vero Arcadis nomine novum initium ac nova gens introducitur. Quam rem ipse Aristoteles testatur apud Schol. Arist. Nub. 397: *Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Τεγεατῶν πολιτεία φησὶν, ὅτι βάρβαροι τὴν Ἀρκადίαν ὤκησαν, οἷνες ἐξεβλήθησαν ὑπὸ τῶν νῦν Ἀρκάδων πρὸ τοῦ ἐπιτεῖλαι τὴν σελήνην*, et Syncellus apud Eusebium p. 158 A Maj. *Ἀρκὰς ὁ Καλλιστοῦς καὶ Λιδὸς υἱὸς Πελασγῶν κρατήσας Ἀρκადίαν τὴν χώραν μειωνόμασεν*, denique Isidorus Orig. XIV, 4 Pelasgis in dictionem redactis. Postremo nomen *Ἀρκάδες Πελασγοί* duplicem videtur stirpem indicare, ut principio fuerit: *Ἀρκάδες καὶ Πελασγοί* velut Romanorum Patres et conscripti. Differunt igitur inter se Pelasgi et Arcades. Jam vero ne hoc quidem dubium videtur esse, quin Arcadium gens pro advena

ac peregrina sit habenda. Ubicunque enim in Graecia civitates antiquae constitutae, mores leges jura descripta, homines a fera agrestique vita ad humaniorem et civilem cultum deducti sunt, semper haec ex adventu exterae cujusdam gentis facta sunt. Qui advenae quum plerumque cultiores essent et humaniores, dominatum in aborigines exercebant et arces exstruebant castellaque, quibus adversus subditos se defenderent atque tuerentur. Quare etiam Arcadium antiquis arcibus refertam invenimus. Quum igitur hoc certum sit, a veteribus duos et diversos populos, alterum seniorem alterum juniorem agnitos esse, hoc quoque verisimillimum est, posteriorem Arcadum gentem alienigenam et adventiciam fuisse. Quamquam ante omnem memoriam rerum gestarum eo immigravit. Atque ut statim dicam, quod volo, hujus quoque Arcadum gentis saltem partem quandam, eamque, ex qua Cypselus ille ortus est, — nam alias missas facimus — ad Lapithas et Minyas pertinuisse, valde est probabile. Id quod demonstrare conabimur, etsi Od. Müller Orchom. 123 incautos eos appellat, qui conaturi sint certius aliquid de hac re statuere. Antiquissimo enim tempore fines Arcadiae multo latius atque amplius pertinebant, quam postea, ut docuit Curt. Pelop. I, 166 sq. Quodsi apud Pherecyd. fr. 87 legimus: ἦν ἀψιμαχία τις ἐκεῖ Ἀρκάσι τε καὶ Βοιωτοῖς τοῖς αὐτοῦ πολίταις περὶ ὄρων γῆς, concludere possumus, finitimam olim fuisse Arcadium Isthmo et Boeotiae. Deinde quas sedes Arcades ipsi principio obtinuerint, ex Pausania perspicuum est. Is Arcadi tres fuisse filios tradit: Azanem, Apehidantem, Elatum. Azanes qui fuerint, difficilis est quaestio. Si Curtium sequimur Pelop. I, 162 Azanes gens erant bellicosa ac strenua, quae imprimis Psophidem Clitorem Phe-neum tenebat. Sed etiam in Parrhasiorum terra Azanes habitabant; Lycosura enim, quae erat ad Alpheum, a Clitore, filio Azanis, inculta est; Lycaenum montem Euphorion Azanibus attribuit, qui dicit apud Apulejum de orthogr. §. 51: Azania est pars Arcadiae, ubi natum Jovem tradit Euphorion; simili modo Phigalia ad Azanes pertinebat, ut discimus ex oraculo apud Paus. VIII, 42, 6:

*Ἀρκάδες Ἀζάνες βαλανηφάγοι οἱ Φιγάλειαν Νάσσασθε.*

Quomodo vero Azanes in hanc regionem venerint, nescitur. Verisimile autem est, Azanes non proprie ad Arcades pertinuisse, sed quasi medios fuisse inter Pelasgos et Arcades. Neque enim Apollod. III, 9, 1 Azanem inter filios Arcadis numerat, sed tantum duos illos Apehidantem et Elatum, et idem mihi significare videtur quod apud Paus. natu maximus filius Arcadis dicitur. Azanes autem mox ab Elatidis subjecti videntur esse, nam Clitor filius Azanis sine subole fertur mortuus esse, post autem Aepytus, Elati filius, ejus re-

gnum arripuisse. Filiorum autem Azanis reliquorum Apheidas Tegeam, Elatus Cyllenam montem et Orchomenum occupavit; nam Orchomeno quoque Elatum potitum esse, a schol. ad Dionys. Perieg. v. 415 traditur: *μετὰ τὸν Ἀρχάδος θάνατον οἱ παῖδες αὐτοῦ τρεῖς ὄντες ἐνέμειναν τὴν ἀρχήν. Ἐλατος μὲν ἔλαχε μοῖραν Ὀρχόμενον, Ἀφείδας δὲ κ. τ. λ.* Jam ita distributam Arcadium scimus, ut Azanes septentrionem et aliquot Alpheia loca, Elatidae partim septentrionem partim orientem, Apheidantes orientem, cetera Pelasgi, qui erant Parrhasii, Cynurii, Maenalii, Eutresii, incolerent. Jam quoniam igitur Arcades non indigenae sed advenae erant, septentrionem autem et orientem Arcadiae tenebant, immigrarunt ex ea parte, quae ad Cyllenam et Sycioniam et Isthmum vergit. Ac primum Azanes semipelasgi advenerunt et septentrionem occupaverunt, deinde Apheidantes, qui orienti potiti sunt, denique Elatidae, qui primo angulum, qui est inter utrosque, obtinuerunt, mox Apheidantes meridiem versus promoverunt, Azanes vero sibi subjecerunt. Hic enim est ordo filiorum Arcadis. Elatidae autem quoniam, ut de ceteris taceam, eam partem habitabant, quae Boeotiae et Isthmo vicina erat, Boeotica autem et Corinthia ab Aeolensibus, Minyis, Lapithis tenebatur, cum his propinquitate et origine cohaesisse cogitandi sunt. Jam de hac re pergamus quaerere et vestigia hujus originis licet pauca sint, colligamus. Cyllena mons Sythae valli et ei regioni vicinus erat, in qua Triccala hodierna et Tricca vetus conditae erant. Quos locos Minyas tenuisse supra ostendimus. Deinde Elati nomen redit in Lapitha illo, qui pater erat Polyphemi Apollod. I, 9, 6 et Caenei Ovid. Metam. XII, 189, et Larisae regnavit: Elati quinque sunt filii, quorum natu maximus Aepytus, victor Azanum, oppidis eorum potitus est. Et Pheneum quidem Lapithas a Centauris expulsos fugisse Diod. IV, 70 disertis verbis tradit, a quibus etiam religio Dianae Eleusinae (Paus. VIII, 15) profecta est, Minyeium numen, de quo infra dicemus. Cum hac religione conferenda sunt vestigia venerationis Orci et inferorum et daemonum, quae ibidem inveniuntur, quae collegit Cúrtius Pelop. I, 190 et 211. Nam hic quoque cultus, ut ostendimus, ad Minyas pertinebat. Clitore autem cultus Dianae, Aesculapii, Πιθυιαε florebat Paus. VIII, 21. — Ejusdem Elati filii erant Pereus, Cyllen a monte illo nominatus, Ischys, qui cognominis est Ischyi Lapithae equis claro, qui Coronidem amavit, ut ajunt Hom. Hymn. Pyth. Ap. 31.

*ὄππας μνωόμενος ἔκιες Ἀζανίδα κόρην*

*Ἴσχυ' ἄμ' ἀνυθέω, Ἐλατιονίδη εὐῖππο,*

(ubi quo jure Coronis Ἀζανίς dicatur, dubium est), et Paus. II, 26, 6; ambos Ischyas confundit Pind. Pyth. III, 26:

*Κορωνίς ἐλθόντος εὐνάσθη ξένου λέκτροισιν ἀπ' Ἀρχαδίας.*

Filiorum minimus est Stymphalus, cujus nomine significatur hanc quoque regionem ab Elatidis occupatam esse. Antiquiorem autem Stymphalum Junonis religione a Temeno, Pelasgi filio, instituta clarissimum fuisse tradit Paus. VIII, 22, 2; eum enim Junoni *Παιδί* et *Τελεία* et *Χήρα* tria templa aedificasse; quae sacra fortasse simili modo ad Minyas et Lapithas pertinebant. Neque offendendum est in ea re, quod Pelasgorum dicuntur fuisse, hac enim nihil significatur nisi pervetusta esse. Alii testimonio nobis potest esse, quod Metopa, quae erat undarum Stymphalidum Nympha Callim. Jov. 26, Asopi Sicyonii uxor dicebatur esse: sic enim cecinit Pindarus Olymp. VI, 84 *ματρομάτωρ ἐμὰ* (Pindari Thebani) *Στυμφαλῆς, εὐανθῆς Μετώπα πλάξπιτον ἅ Θήβαν ἔκκτεν*, ex quibus apparet, Thebae matrem Metopam fuisse, Theba autem Asopi filia erat, ut cantavit idem Isthm. VII, 18:

*πατρὸς οὐνεκα δίδυμαι γέγονοιο θύγατρεις Ἀσωπίδων  
ὀπλόταται, Ζηνί τε ἄδον βασιλεί.*

*ὃ τὰν μὲν παρὰ καλλιρόφ*

*Διοκῆ φιλαρμάτου πύλιος ὄκισσεν ἀγεμόνα.*

*σὲ δὲ κτλ.*; fuit igitur Metopa uxor Asopi, de qua re conferri quoque possunt Paus. II, 5, 2 Diod. IV, 72 et in universum Apollod. III, 12, 6. Hujus rei videtur Callimachus memor fuisse, Metopam *πολύσιον* nuncupans, quae est vox Sicyoniacae dialecti propria; ascripsit enim Schol. *σῆται αἱ ψῆσαι παρὰ Σικωνίοις καλοῦνται*. Hactenus de Stymphalo, Orchomeni vero, (quo oppido jam Elatus ipse potitus erat), non solum nomen cum Boeotico concinit, sed etiam Arcadicis in numis *Ἐρχομενός* scribebatur, ut ostendit Curt. Pelop. I, 228. Praeterea monendum est de aquaeductibus et canalibus, quos Arcades Phenei et Stymphali et Orchomeni maxima cum arte aedificaverunt; quae erat vetus Minyarum ars, qua etiam Orchomeni in Boeotia et ad paludem Copaidem et Munychiae, ut ostendit Curt. de port. Ath. 23 egregie usi sunt Minyae. Dici fere potest, regiones, in quibus talia opera necessaria erant, de industria ab eis petitas esse. Stymphali filius fuit Gortys, qui Gortynam apud Gortynium fluvium, qui in Alpheum effunditur, condidit. Videmus igitur, sicut Azanes etiam Elatidas in Parrhasiorum et Cynuriorum fines sedes transtulisse, quamquam qua ratione eo profecti sint, non liquet. Rem autem ita se habere, ostendit Steph. Byz. qui haec scripsit: *ἔσσι δὲ μοῖρα τῆς Ἀρκადίας ἢ Ἀζανία· διήρηται δὲ εἰς τρία, Παρρησίους Ἀζάνας Τραπεζουντίους*, nam Trapezuntios Elatidas fuisse, postea videbimus. Gortynae autem, id quod gravissimum est, Minyaei Aesculapii quam maxime florebat cultus atque religio, quo tantae divitiae muneribus a visitantibus dedicatis con-

fluxerunt, ut aedes tota Pentelico lapide exstrui et signo dei marmoreo a Scopa sculpto exornari posset. A Minyis autem Aesculapium advectum esse, hoc quoque indicat, quod ad similitudinem Aesculapii Sicyonii, Phliasi, Titanii numen imberbe effectum erat, de qua re cf. Curt. Pelop. I, 351. Necessitudo autem, quae antiquitus inter Gortynam et illa loca intercessit, etiam hinc conspicitur, quod Titaniae signum marmoreum Aesculapii erat, qui cognomine Gortynius appellabatur. Et si quis his omnibus nondum fidem tribuit, postremo hoc certissimo testimonio est, quod etiam Cretensem Gortynam, urbem magnificam atque opulentam, a Minyis conditam esse a veteribus traditur, ut ostendit Od. Müller Orchom. 310; et ibi quoque imberbis Aesculapius adorabatur, ut ait Curt. Pelop. I, 352; eidem Lebenae, qui est portus Gortynae, templum dedicatum fuisse, docet Thrice res Cyrenensium 332, quum de necessitudine, quae inter Gortynios et Cyrenenses fuerit, verba faciat; denique Lethaeus fluvius, qui Gortynam perfluit Strabo 478, cognominis est ei Lethaeo, apud quem Tricca Thessalica sita est, *ἐφ' ᾧ ὁ Ἀσκληπιὸς γεννηθῆναι λέγεται* 647. — Gortynis fratris filius erat Cercyon, hujus gnatus Hippothus, qui Trapezunte dominatus est, quare Stephanus Elatidas Trapezuntios vocat; ejus nepos autem Cypselus, qui Basilidem aedificavit. De quo Nicias apud Athen. 609 E haec tradit (*Βασιλῆς*), *εἰς ἣν κατοικίσαντα Παρθασίων τινὰς τέμενος καὶ βῶμον ἀναστῆσαι Δημήτρι' Ἐλευσινίᾳ, ἧς ἐν τῇ ἑορτῇ καὶ τὸν τοῦ κάλλους ἀγῶνα ἐπιτελέσαι, καὶ νικῆσαι πρῶτον αὐτοῦ τὴν γυναῖκα Ἡροδίαν.* Certo igitur, ut de fonte cognominis illius sileamus, *Δημήτηρ Χθονία* fuit, cujus cultum atque venerationem Cypselus instituit, quae sine dubio ad ea numina inferorum pertinet, quae a Minyis culta esse exposuimus. Cypseli autem filia ea, quam Cresphonti spondit, Meropa convenit cum alia Meropa, Sisyphi uxore. Apollod. III, 10, 1. Sic ostendimus, qua ratione Elatidae deinceps Cyllenam Orchomenum Pheneum Clitorem Stymphalum occupaverint, tum etiam Alphei vallem Gortynam Trapezuntem Basilidem Cypsela dominatione obtinuerint. Hos vero, qui ad Alpheum sedes transtulere, partem tantum universae gentis fuisse, indicat id, quod etiam post Cypseli tempora reges Orchomeni habitantes inveniuntur. Nam Aristocrates ille, Aepytida, qui auro corruptus Messenios bello Messeniaco secundo Lacedaemoniis prodidit, Orchomenius rex Arcadiae vocatur, de quo cf. Müll. Aeginet. 65. Ceterum de ratione, quae inter Trapezuntios et Orchomenios, item inter Elatidas et Apehidantes intercesserit, nihil constat; quorum omnes, qui regnaverunt, ex utracunque gente nati sunt, reges Arcadiae appellantur. Aristocratis autem filia, Eristhenia, Procli nupsit Epidauriorum tyranno; et verisimile est, Pe-

riandrum eorum filiam in matrimonium ducentem ejus necessitudinis, qua cum Aristocratis gente ipse antiquitus conjunctus esset, haud immemorem fuisse. Eandem necessitudinem videntur etiam populi memoria tenuisse. Nam et Arcades Messeniorum, qui erant Minyae, semper amici erant et socii, ut in bellis Messeniaticis, et Minyae illi, qui in Triphylia erant, post bellum Peloponnesiacum cum mira quadam constantia ac pertinacia ad Arcades pertinere volebant, ut ait Xenoph. Hell. VII, 1, 26: *τοὺς Τριφυλίουσιν περὶ παντὸς ποιουμένους, οὗ Ἄρκάδες ἔφρασαν εἶναι*, et Paus. V, 5, 3: *ἔθελουσι μὲν δὴ οἱ Λεπρεᾶται μοῖρα εἶναι τῶν Ἀρκάδων*.

Postremo loci cujusdam Pausaniae mentio injicienda est, qui IV, 3, 6 haec scripsit: *ταῦτα* i. e. *βασιλευσθαι τε ὑπὸ Κρυσφόντων καὶ ἀναδάσασθαι πρὸς τοὺς Ἀρκάδας τὴν γῆν, εἰκεν σφισὶ παρίστατο* (i. e. *Μεσσηνίοις*) i. e. sua sponte, non coactos cedere, *ὑποψία πρὸς τοὺς βασιλεύοντας, οὗ ἦσαν ἐξ Ἰωλκοῦ τὸ ἀνέκαθεν Μινύαι* i. e. Messenii Doribus sua sponte cedebant, quia suspicati sunt, esse eos antiquitus Minyas Jolciacos. Jam *ὑποψία* ampliore sensu accipiendum est: *ορινηται sunt*, ad quam opinionem sine dubio Cresphontes ipse eos adduxit. In qua re non est, cur quis offendant, nam et apud Graecos *ὑποπιτεύειν* latiore sensu usurpatum esse, ostendit Platon. Theaet. 164 A, quo loco de suspicione malae alicujus rei non agitur, sed oppositum est *ὑποπιτεύειν* verbis: *ἱκανῶς συννοῶ* et apud Romanos *susplicandi et suspicionis* vocabula saepissime malo sensu carere, notum est. Sed quomodo Messeniis de hac re Cresphontes persuadere potuit? Triplici puto ratione. Nam primum vetustissimi Messeniae incolae Minyae fuerunt; qui aliis Minyis libenter cesserunt. Deinde videbantur Messeniis Minyae quasi divinitus ad regnandum destinati esse ideo, quod ei reges, quos noverunt, ex hoc genere orti erant. Unde sequitur, ut Arcadam reges, sicut Eleorum, ad Minyas pertinuerint. Denique Cresphontes hoc sibi vindicare poterat, quia Minyeii regis gener erat. Ergo videtur is quoque locus pro hac sententia facere, Cypseli Arcadis gentem cum Minyis et Lapithis propinquitate cohaesisse.

Jam finem faciamus hujus quaestionis, qua probavisse nobis videmur, etiam Elatidarum gentem Arcadicam ad Minyas et Lapithas pertinuisse. Jam dicendum est, nomen Cypseli, quoniam ubicunque inveniatur cum Minyis et Lapithis conjungi possit, harum gentium proprium atque hereditarium fuisse. Ex qua re sequitur, ut Corinthius Cypselus nomen a cumera illa non acceperit. Accedit denique, quod Aetionis patris nomen ad easdem pertinebat. Nam gesserunt hoc nomen et filius Jasonis Hom. II. *Φ*, 41 et is Minya, qui promontorio Munychiae nomen *Ἡεωώνεια* de se dedit. Philochor. apud

Harpocr. v. *Ἡσιώνεια*. — Videmus autem in universum, quomodo Cypselidae et aliae gentes propinquae, jam ex antiquissimis temporibus rebus gestis clari, postquam aliquamdiu eorum memoria evanuit, ex silentii obscuritate et profundo oblivionis subito diversis locis emergerint et in lucem historiae prodierint. Unde apparet, quanto robore, quanta vi vitali floruerint ac viguerint. Simile quid in Aegidas et Cadmeos incidit, quorum posteri Lacedaemone Therae Cyrenae rerum gestarum gloria atque laude innotuerunt. — Jam alia quaedam via intrari possit, si quis hanc nominis originem servare velit. Etenim saepius et in priorum tyrannorum historia cognomina propriis nominibus adjuncta esse et pro his in usu fuisse videmus. Ita, ut exemplo utar, Sicyoniacorum tyrannorum princeps Orthagoras cognominatus est, quum proprium ei nomen fuisset Andreae. Qua in re me non fugit, a multis duos homines sumi, quorum alter Orthagoras, alter Andreas sit vocatus. Sed primum Herodotus seriem Sicyoniacorum tyrannorum enumerans VI, 126 Orthagoram ignorat, deinde ex temporum ratione, cujus difficultates alio modo expediri non possunt, hoc concludendum est. Sed cognomen illud aut Andreas sibi ipse aut aequales ei indiderunt, ut significarent, quantopere populi partes tueretur; (idem fecit ‘Justinianus’); unde tota gens Orthagoridae appellabantur. Simili modo etiam uxori Periandri, Proclis filiae, proprium nomen non Melissa, sed Lysidae fuisse videtur. Ita enim Diog. Laert. I, 94 tradit: *Περιανδρος γήμας Ἀνσίδην, ἣν αὐτὸς Μέλισσαν ἐκάλει*, quo loco cur Menagius pro αὐτὸς *Ἡρόδοτος* substituere potuerit, non video. Lysidae enim et mater, quae erat Aristocratis Arcadis filia, et fortasse etiam pater — nam Epidaurum magna Minyarum multitudo incolebat — ex Minyis orti erant, itaque verisimile est, etiam filiam Minyeio nomine vocasse parentes. Lysida enim Coroni Lapithae filia erat, ut apparet ex Steph. Byz. s. v. *Φιλαῖδαι* quem supra attulimus. Hanc nostram sententiam etiam Plassius sequitur in libro de Tyrannide edito I, 160, item Steinmetz in programmate Luneburg. 1861 p. 8, qui Periandrum, hominem doctum atque eruditum, blanditiae atque adulationis gratia ex illo Simonidis Amorgini de feminis carmine ‘Apis’ cognomine uxorem suam condecorasse, feliciter mihi conjicere videtur. Od. Müllero autem Aegin. 65 videtur ‘Melissae nomen inditum ob primarium Corinthi sacerdotium administratum Reginae Atheniensium instar’. Deinde Battus, conditor Cyrenae, proprio nomine Aristoteles nominatus est, ut docet Müller Orchom. 337, Battus autem, quae vox libyca lingua idem valet, quod *rex*, postquam Cyrenae regnum instituit, cognominatus est, Herod. IV, 155. Itaque omnis ejus proles Battiadarum nomen gessit. Eodem jure proponi

potest, etiam Polycratem inde quod *Γαλασσοκρατίαν* Jonicam toto mari Aegaeo consecutus est, et Clisthenem Sicyonium inde quod unus ex potentissimis tyrannis factus est, item Aristonymum Sicyonium et Proctem Epidaurium et Pantagnotum Samium similibus de causis haec sua cognomina accepisse. Pisistrati vero nomen antiquius et proprium Neleidarum fuit. Quae cum ita sint, aliquo jure quis proposuerit, eodem modo etiam Cypselo hoc cognomen tributum esse. Sed quum plerumque in his cognominibus magnifici aliquid et speciosi insit, quod in hoc nomen non cadit, praeterea Cypseli nomen, ut demonstravimus, antiquius fuerit, haec opinio sequenda non est. Tenemus igitur illam sententiam, Cypselum a cypselo nomen non accepisse et totam de ea fabulam ficticiam esse.

At nonne Pausanias ipse hanc cistam vidit, nonne idem disertis verbis dicit: *τῆς μὲν δὴ σωτηρίας ἔνεκα τοῦ Κυψέλου τὸ ἀπ' αὐτοῦ γένος οἱ ὀνομαζόμενοι Κυψελίδαι τὴν λάρνακα ἐς Ὀλυμπίαν ἀνέθεσαν?* Nonne etiam Dio Chrysoth. 9, p. 325 Reisk. *ὡς αὐτός* inquit, *ἑώρακὼς εἶην ἐν Ὀλυμπίᾳ ἐν τῷ ὀπισθοδόμῳ τοῦ νεῶ τῆς Ἑρας ὑπόμνημα τῆς ἀρπαγῆς ἐκείνης, ἐν τῇ ξυλίνῃ κιβωτῷ τῇ ἀνατεθείσῃ ὑπὸ Κυψέλου?* Jam haec quaestio de cista Cypseli, duodecim adhuc doctissimorum hominum libellis perlustrata, quomodo simplicissime expedienda sit, breviter exponamus. Primum de forma ac figura arcae ejus agendum est, quae Olympiae ostendebatur. De hac re dissentiunt homines docti, quorum alteri in uno tantum latere et in quinque lineis, alteri in quatuor lateribus et in operculo imagines expressas fuisse existimant. Illas partes Jahnius sequitur Archäol. Aufsätze p. 1 sq., has cum Ruhlio Zeitschr. für Alterthumswiss. 1852 Schubartus Jahns Jahrb. 1861, ubi de disputatione quam Mercklinius de inscriptionibus arcae instituit, disserit. Sed quodcunque hi contra Jahnum dicunt, Pausaniae verba uno tantum eoque simplici modo explicari possunt. Quodsi dicit: *ἀρξαμένῳ δὲ ἀνασκοπεῖσθαι κάτωθεν* V, 17, 6 et *ἡ δὲ ἀνωτάτω χώρα, πέντε γὰρ ἀριθμόν εἰσι* 19, 7, non potest fieri quin quinque lineas aliam super aliam positas fuisse judicemus. Neque enim Heynii (Kasten d. Kyps. 1770) interpretatio verborum *κάτω* et *άνω*, 'a fronte' et 'a tergo' ferri potest, et operculum si fuisset, a Pausania commemoratum esset. Praeterea id quod contra eos facit, quod Pausanias *βουσιροφηδὸν* circumiens arcam contemplatus est. Cujus rationis nulla causa excogitari potest, si in singulis lateribus singuli simulacrorum ordines fuissent. — Ac tamen copia imaginum multo major est, quam ut omnes uno latere comprehensas et conceptas esse putari possit. Nam si ea exputamus, quae Pausanias tradidit, CXL personae in arca effictae erant eaeque tanta

magnitudine, ut dentes, ungues, vultus, habitus discerni et in scuto quod Agamemno gessit versus epicus inscribi posset; ad quas domuum, curruum, templorum, bestiarum, arborum, antrorum, tripodum multitudo accedebat. Quae omnia si in uno latere exstiterunt, necesse est altitudo arcae immensis atque ingens fuerit et omnino arca ad formam scrinii excreverit. Neque vero scrinia, ut recte Schubartus p. 305 demonstravit, apud Graecos veteres, quantum scimus, inveniuntur, praeterea usus vocabulorum, quae sunt *λάρναξ* et *κιβωτός*, quibus Pausanias et Dio utuntur, obstat, quae nihil significant, nisi arcam, cistam, forma sarcophagi simillima. Quid igitur sequitur? Ut imagines non unius lateris finibus circumscribamus, sed in tria distribuamus ac dilatemus, per quae quinque lineae continuae pertinuerint, quartum vero latum imaginibus vacuum parieti appositum fuisse dicamus. Tria latera dico, nam primum Pausanias *βουστρόφηδόν* circumiens arcam spectavit; deinde verbis quae sunt *περίοδος* et *περιέβαι* usus est. Quae neque pro voce *describendi*, velut *ἐξηγεῖσθαι*, posita esse possunt, id quod Jahnius censuit, et potius ita accipienda sunt: *per orbem aut semiorbem circumire*, quam: *apud unum latus ultro citroque commeari*. Itaque hunc fere in modum arca aedificata erat, qualem Quatremère-de-Quincy in libro, quem de Jove Olympico edidit, delineavit. Quamquam simulacra falsa ratione dispertivit. Hanc de tribus lateribus sententiam primus ni fallor Mercklinius protulit; sed quod de inscriptionibus excogitavit, sine dubio artificiosius est. Jam si latus primarium duplicem triplicemve latitudinem habuisse ponimus, primario simplicibus numeris, secundariis additis literis *a* et *b* notatis, hunc in modum simplicissime imagines distribui possunt:

1a Oenomaus. Amphiarus.

1 ludi funebres Peliae.

1b Hercules. Phineus.

2b Nox. Justitia. Pharmaciae.

2 Idas. Zeus. Menelaus. Medea. Musae. Atlas.

2a Mars. Thetis. Perseus.

3a 3 3b Pugna.

4b Boreas. Hercules. Theseus.

4 Achilles. Melanion. Ajax. Dioscuri. Agamemno. Paris.

4a Ajax. Polynices. Bacchus.

5a Ulixes.

5 Chiron. Vulcanus. Nausicaa.

5b Hercules.

Hoc modo si quis imagines sibi delineaverit, omnia inter se consentire et concinere videbit; neque jam audacibus conjecturis aut transpositionibus Mercklinianis opus erit.

Haec est forma atque ratio arcae illius, quae in Junonis

Olympicae episthodomus collocata erat, quam cedrinis eburneis aureis imaginibus adornatam Pausanias vidit. Num haec ea erat, in qua Cypselus pusio reconditus esse fertur? Minime. Nam primum vix cogitari potest, Aetionem tam pretiosum tamque magnificum opus in domestica suppellectile habuisse. Deinde quod gravius est, ne Herodotus quidem, qui unus omnium res Cypselidarum accuratissime pervestigavit, ullam hujus rei mentionem facit. Qui si cista illa revera in memoriam infantis divinitus servati Olympiam dedicata esset, certo commemorasset. Contra simplicissime scribit: *κατακρύπτει ἐς κυψέλην*, quam uberiore descriptione dignam non habuit. Denique, quod gravissimum est et ab omnibus adhuc neglectum, *κυψέλη* neque apud scriptores veteres 'arcae' significationem habet, nec grammaticorum quisquam, etsi omnes vocabulum afferunt, hanc vim inesse tradidit. Est enim apud Aristoph. Pac. 631 *ἔξιμέδιμνος κυψέλη*, ad quae schol.: *ἔσα δὲ, inquit, εἶδος ἀγγείου ἢ μέτρον δεκτικὸν πυρῶν ἢ κρηθῶν· οὐ μόνον πλεκταὶ αἱ κυψέλαι, ἀλλὰ καὶ κεραμίαι*. Deinde apud comicos vocabulum *κυψέλης* aliquoties invenitur, quos locos Jacobius in indice comicae dictionis collegit; unde aut nihil efficitur aut eae significationes, de quibus nunc dicturus sum, probantur. Commemorantur enim apud grammaticos hae hujus vocis notiones: *σιτηρὸν ἀγγεῖον, οἰνηρὸν σαεῦος, ἵνα ἔγκειται τὰ τῶν ἡδυσμάτων, πλεκτὸν ἀγγεῖον μελιτῶν, κυβέρτιον μελισσῶν, τὸ ἀγγεῖον τῶν κρηίων, τοῦ ὀπίου κοῦλλον, ὁ ἐμφράτιων τὴν ἀκοὴν ῥύπος*, deinde translata apud Phrynichum in Beck. Anecd.: *κυψέλαι φρονημάτων οἶον θῆκαι φρονήσεως*; postremo *κύπελος* avis est hirundini similis. Valde igitur dubitandum est, num apud Herodotum *κυψέλη* arcam significet, an potius canistrum aut modium quendam frumentarium. Quamquam tacendum non est, etymi vim huic notioni non repugnare, nam radix *KYB* semper cavum quoddam indicat. Sed id quoque suspicionem movet, quod Dio et Pausanias de arca Olympica loquentes *κυψέλης* vocabulo non utuntur, sed alia verba substituunt, alter: *λάρναξ*, alter *κιβωτός*; nam haec duo vocabula sunt, quibus arca apud Graecos denotabatur.

Quibus de causis existimandum est, arcam Olympicam et *κυψέλην* Cypseli, in qua mater infantem reposuit, prorsus res esse diversas. Conjunxerunt autem eas sine dubio interpretes rerum sacrarum Olympici, quos Graeci *ἔξηγητὰς* appellabant. Nam quum Cypselidae arcam quandam Junoni Olympicae dedicavissent, exegetae haud ignari ejus miraculi, quod Herodotus tradidit, quum vocabulum *κυψέλη* e consuetudine loquentium venisset, illam *κυψέλην* et hanc *λάρνακα* eandem esse dictitabant. Quare etiam id excogitabant, quod Pausan. addidit, ut se excusaret: *τὰς δὲ λάρνακας οἱ τότε*

Κορινθιοὶ ἐκάλουν κνψέλας: significasse in antiqua lingua  
 Corinthiorum κνψέλην arcam. Quod si vere dixit, Herodotus  
 hoc quod dicebatur Corinthiorum et Doricorum idioma in Jo-  
 nicam suam dialectum sine ulla excusatione recepisse putan-  
 lus est. Sed quum quotiescunque vocabulum aut peregrinum  
 aut inusitatum usurpat, semper ejus vim et naturam discrete  
 explicet, hoc quoque loco sine dubio de significatione aliqua  
 nota atque usitata cogitavit. Finxerunt autem exegetae haec  
 omnia, quia eorum intererat, ut eas res quas ostendebant,  
 vel admirabiliores redderent, cujus rei complura apud Pau-  
 saniam exempla inveniuntur. Neque enim cypselam solum  
 sed etiam ancoram Ancyrae urbis V, 4, 5, lanceam Achillis  
 Phaselide III, 3, 8, gladium et cultrum Memnonis ibid., sce-  
 ptrum Agamemnonis IX, 41, 12, torquem Eriphylae IX, 41,  
 2, dentes apri Erymanthici VIII, 24, 5 et Calydonici VIII,  
 46, 1, vas Ariadnae, alia Pausaniae commonstraverunt, ut  
 ostendit Welcker Zeitschr. f. alte Kunst 1819 p. 272. Lu-  
 culentissimum autem exemplum hoc est, quod ex eodem  
 saxo Pario, quod Persae adversus Athenas profecti secum  
 auxerant ut tropaeum statuerent, Phidias signum Nemeseos  
 Rhamnusiae sculpsisse fertur I, 33, 2. Sic hanc Olympicam  
 arcam ab illo vase quae est κνψέλη et a fabella illa de Cyp-  
 selo disjungendam et separandam esse ostendisse mihi videor.  
 Itaque testimonio esse nequit, si de veritate illius agitur. —  
 Sed unum superest, quod explicatione indigeat. Sunt enim  
 qui arbitrentur, κνψέλην quidem ipsam Olympiae non fuisse,  
 sed arcam ad ejus similitudinem exstructam eamque pretio-  
 sam varieque exornatam, quam Cypselidae postea in memo-  
 riam miraculi Olympiam dedicassent. Sed ne hoc quidem  
 existimari potest. Nam praeter ea, quae etiam in hanc su-  
 periolem quaestionem inciderunt, primum hoc obstat, quod  
 Plut. sept. sap. conviv. 21 non arcam Junoni, sed Apollini  
 thesaurum Delphicum, hujus de qua agimus memoriae causa  
 dedicatum a Cypselo tradit. Nam quod modo hoc modo il-  
 lud donarium Cypselidarum ex hac narratiuncula derivatum  
 est, hinc omnino nihil certi de ea traditum fuisse patet. De-  
 inde permirum est, quod in tanta simulacrorum, quae in  
 arca efficta erant, multitudine servatio ipsa pusionis, quae  
 causa dedicationis dicebatur, repraesentata non est. Nihil  
 enim magis ex more Graecorum est, quam data commemo-  
 randi occasione aut per verba versusque aut per imagines  
 ipsas in donariis auctores et causas dedicationis indicare. Cyp-  
 selo autem melior et aptior ansa praeberi non poterat, siqui-  
 dem deis salutis gratiam habere voluit. Sed inter omnia si-  
 mulacra, ut dixi, nullum est, quo portentum illud aut reprae-  
 sentetur aut significetur, neque res Cypseli Cypselidarumve  
 in universum et ne Corinthiacae quidem ullo modo tangun-

tur. Nam quod Pausanias de pugna, quae in tertia lineae efficta erat, proposuit, quam dicit Aletam et Melanem inter se pugnasse, haec ipsius conjectura est. Qua in re tantum pere offendo, ut paene putaverim, arcam Olympicam omnino a Cypselidis profectam non esse. Nam sero demum hujus arcae mentio injicitur a scriptoribus veteribus. Aristot. enim Pol. VIII, 224 *Κυψελιδῶν ἀναθήματα* in universum tantum attingit, Plato autem in Phaedr. p. 236 B si dicit: *παρὰ τὴν Κυψελιδῶν ἀνάθημα σφουρήλατος ἐν Ὀλυμπίᾳ σιάθητι*, vel potius ut Cobetus correxit Photii verbis nixus: *ἔσιαθη* (Mnemos. IX p. 422) de aureo Jovis colosso solo loquitur; etiam Photius et Suidas s. v. *Κυψελιδῶν ἀναθήματα*. quibus locum ex Platone pro *ἔσιαθη ἔσιαθη* emendandum est, non nisi Platonis verba simpliciter afferunt, ad quae adjiciunt: *Κολοσσὸν ἀλλ' οὐ τῶν Κυψελιδῶν* et quae sequuntur; qua in re fabulatur Duncker IV, 24 in nota; Plutarchus vero, quod est memorabile, de Pyth. orac. 13 haec scribens *τῆς τωραννίδος καταλυθείσης, ἐβούλοντο Κορίνθιοι καὶ τὸν ἐν Πίσῃ χρυσοῦν ἀνδριάντα καὶ τὸν ἐνταῖθα τουτινὸν θησαυρὸν ἐπιγράψαι τῆς πέλειως*, tertii cujusdam a Cypselidis dedicati donarii memorem fuisse non videtur; postremo Strabo, qui saepius 353 et 377 de aureo colosso loquitur, arcam omnino ignorat. Sed tantum men Pausanias et Dio satis firmo testimonio esse debent. Dicendum igitur est, dedicasse arcam aut Cypselum aut Periarandrum, ut religiosos ac pios se praestarent, — Juno fortasse ob eam rem, quia ipsorum genti ejus religio propria erat —, exornasse autem variis multiplicibusque imaginibus quas ex universa antiquarum fabularum copia desumerent atque elegerunt. Sunt enim depromptae primum ex fabulis Herculis V, 17, 11; 18, 3; 18, 4; 19, 1; 19, 9 deinde Trojani belli: 18, 3; 18, 5; 19, 1; 19, 2; 19, 4; 19, 5; 19, 7; 19, 8; 19, 9; tum expeditionis septem heroum contra Thebas; 17, 7—8; 19, 2; 19, 6; porro ex fabulis Argonautarum, quae sane ad Cypselidas referri possunt, sed in tanta varietate ac diversitate ceterarum nullius momenti sunt: 19, 9—11 (Pelias), 17, 11 (Phineus) 18, 3 (Jason et Medea); deinde Atheniensium: 19, 1; 19, 2—3. Restant aliae, quae in genera dispertiri non possunt: Oenomaus et Hippodamia 17, 7; Perseus et Gorgones 18, 5; Idas et Marpessa 18, 2; tum imagines deorum: Apollo cum Musis 18, 4, Bacchus 19, 6; denique personae allegoricae: Nox, Somnus, Mors, Justitia, Injuria, Pharmaciae 18, 1—2. Jam de his omnibus quid statuendum erit? Apparet pro argumento fabularum in universum haberi posse amores et certamina, sed in hac tanta copia ac multitudine quis est qui veram et certam rationem eligendi et disponendi agnoscat? Certe hominibus doctis parum in hac re successit. Quae enim Bergkii in Archaeol.

Zeitung 1844 proposuit, quamquam acute excogitavit, vereor, ut ei figurae arcae, quam supra descripsimus, congruant ac convenient. Quod autem arrogantia Rathgeberi, qui in libro, quem nuperrime de Numinibus Aeolensium edidit, de feminarum gloria agi proposuit, conjecit, hoc nihil omnino ad solvendam difficultatem valuit. — Adhibebatur autem arca, ut Böttiger in Philologo 1861 demonstravit, ad deponenda capeta et vestimenta sacra. Cujus ille usus attulit exempla cistellas in templo Dianae Brauroniae collocatas, quae commemorantur in titulis duobus apud Rangab. Antiqu. Hell. II, 863 A et B et 839. Etiam Athenaeus 84 A afferendus est, qui de citreis dicit: *ὡς τε μέγα κειμήλιον ἀπειύθεντο ἐν ταῖς κιβωτοῖς μετὰ τῶν ἱματίων* et Diosc. III, 26 de absinthio: *δοξασθαι δὲ καὶ περιπατιτόμενον εἰς τὰς κιβωτοὺς ἄβροτα ἰηρεῖν τὰ κίβρια*. In talium autem cistarum ligneorum latera lamina aenea affigi solebant, ut docuit Jahnius, quum tabulam quandam arcae Pompejanae, in qua Socrates et Diotima repraesentantur, edidit.

A Cypselo autem, quod Agaclytus apud Photium, an a Periandro, quod Didymus tradit, dedicata sit arca, vix potest certo dijudicari, quia de tempore dedicationis parum constat; Od. enim Mülleri sententiam, qui eum habitum Herculis reperire sibi videbatur, qui non ante Ol. 30 Herculi attributus esset, Preller merito refutavit Archäol. Zeitung 1854. Ne ex titulis quidem certi quicquam concludi potest. Inscriptiones enim arcae ab Eumelo compositas esse, ne Pausanias quidem ipse credit; quae potius ita comparatae sunt, ut praeclearo poetae opprobrio magis quam decori verti possint, ac sine dubio, ut Schubartus jure arbitratur, is artifex, qui arcam aedificavit, etiam versus heroicis composuit. Fortasse de natura et indole fabularum, quae effectae in arca erant, si quis accuratius quaesiverit, certius aliquid consequetur, etsi me considerantem eas nihil, quod alicujus momenti sit, indagasse ingenue profiteor.

Sic igitur, ni fallor, de arca Cypseli sentiendum est. Quae quum, si de fide Herodoteae narrationis agitur, testimonio esse, ut demonstratum est, nequeat, concidit atque amotum est novissimum argumentum, quod pro veritate illius fabulae afferri possit. Jam videndum est, quomodo nata sit et unde originem duxerit. Qua in re id quod volumus consequemur, si rerum earum, quae in fabula tractantur, seriem a fine ad initium pergentes retractaverimus. Nam primum dicendum est, non Cypselum a *κυψέλη* nomen accepisse, sed *κυψέλης* fabulam e nomine Cypseli fluxisse. Fingebatur enim is, qui Cypselus vocatus est, cum cypsela quadam aliquo modo rem habuisse; et facillime quidem haec cumera pro latebris fuisse cogitabatur. Quae est Graecorum trita consuetudo, e

nominibus narratiunculas lepidas eliciendi; nam omnino n  
 mina apud Graecos summi ponderis esse putabantur, qua  
 saepissime ad ea, quae quis passus est, referebantur vel d  
 sumta inde esse dicebantur. Imprimis autem ad antiquit  
 tem fabulosam, qui est poetarum gyrus, hic usus adhibeb  
 tur. Quis enim est, qui Oedipum a perforatis pedibus nom  
 natum, Ajacis nomen ad vocem, quae est αἰάζειν, relatu  
 esse ignoret? Cujus generis ludi etymologici saepissime  
 tragicis poetis vel facti vel adhibiti sunt. Simili modo My  
 midones μνημίων τρόπον terram fodisse dicuntur apud Str  
 bonem 375, Aphetae, oppidum Thessaliae, ἀφετήριον τῶν Ἀ  
 γοναυῶν fuisse ibid. 436; Pagasae autem num ἀπὸ τῆς να  
 πηγίας τῆς Ἀργοῦς, an ἀπὸ τῶν πηγῶν, quibus locus ill  
 abundat, nomen haberet, dubitabatur (ibid.). Hujus rei exem  
 pla facili opera permulta congeri possunt, quae tamen omni  
 poetarum studiis debentur ac fabularum loco numeranda sunt.  
 Posteriore enim tempore eoque, quod majore scientia ac co  
 gnitione amplectimur, multo pauciora, ut res fert, hujus usus  
 vestigia inveniuntur. Nam plerumque infantes nomina acce  
 perunt, priusquam aliquid experti sunt. Quamobrem ubi in  
 talia nomina, quibus fortuna alicujus hominis significatur, in  
 cidimus, fere semper aut cum nominibus personae, aut certe  
 haec quae dicitur nominis origo fictitiae existimandae sunt.  
 Quamquam suo jure Boeckhiius l. a. eos reprehendit, qui in  
 dijudicandis talibus rebus modum egressi omnia hujus gener  
 ris ob id ipsum negent ac rejiciant. Neque enim omnes per  
 sonae et nomina, quae sic comparata sunt, propterea pro  
 commenticiis habenda sunt, sed in certis familiis, ut poeta  
 rum, sculptorum, pictorum, aliorum talia nomina usitata erant.  
 quibus et ipsorum studia et rationes et ea, in quae pueris  
 incumbendum esset repraesentarentur. Cujus rei exempla  
 affero Chersiphronem, qui templum Ephesium aedificavit, Chi  
 rosophum Cretensem, Euchirem Corinthium. Sed hoc ad  
 Cypselidarum familiam non pertinet. — Sed ut etiam ex He  
 rodoto exempla afferam, commemorandus est denuo Battus  
 qui Cyrenam condidit; cujus historia eis quae de Cypsel  
 feruntur multis rationibus simillima est. Eum Herodotus  
 IV, 155 ἰσχνόφωνον καὶ τραυλόν i. e. lingua haesitantem  
 subraucum dicit fuisse. Sed hoc ex nomine Battii fluxit; nam  
 βατταρίζειν valet apud Graecos: ἄσημα καὶ ἀδιάρθρωτα δια  
 λέγεσθαι (Beck. Anecd.) sive, ut Hesychius πομπύζειν, τραυ  
 λίζειν, qui diserte addidit, propter raucitatem Battum nome  
 suum accepisse. Ac tamen ante quartum annum ne ba  
 butire quidem poterat! Dicendum igitur est, Aristoteles  
 a Libyis cognominatum esse, tum a Cyrenensibus fictum  
 esse eum balbum et omnino debilem fuisse (τέφθ δυνάμει  
 κοίη χειρὶ). Quod excogitaverunt, ut in honorem dei,

huic placuerit, vel hominem miserum ad summam gloriam ac laudem pervenire docerent. Et jam perrexerunt fingere, propter illud vitium Delphos eum adisse, ut medelam ab Apolline peteret; quem sic respondisse:

*Βάτι, ἐπὶ φωνῆν ἤλθεσ· ἀναξ δέ σε Φοῖβος Ἀπόλλων  
Ἐς Λιβίην πέμπει μηλοτρόφον οἰκιστῆρα,*

quo praecepto commotum Battum in Libyam navigasse. Sed jam propter salutationem haec vaticinatio vera esse non potest. Nihilò secius Herodotus, homo mira religiositate, quamquam Aristotelem Batti nomen in Libya demum nactum esse haud ignoravit, quum oraculo plenam fidem daret, praevidentem Apollinem ejus regnum Libyca appellatione regis eum consalutasse credere, quam ad simplicem illam explicationem descendere maluit. Porro apud Her. I, 68 in notissima illa fabula de bello, quod Lacedaemonii cum Tegeatis Ol. 65 gesserunt, Orestis ossa in fabri cujusdam ferrarii domo ad officinam, in qua ferrum cudebatur reperta esse dicuntur. Tota haec fabula cum oraculo sine dubio falsa est, sed unde nata? Pausan. VIII, 45, 1 octo antiquos Tegeatarum pagos enumerat: *Γαρσαῖται, Φυλακῆς, Καρνᾶται, Κορυθαῖς, Πωταχίδαί, Οἰᾶται, Μανθουρεῖς, Ἐχαιοῦθαις*, deinde nonum accessisse: Apheidantes. Ex quibus duo: *Γαρσαῖται* et *Κορυθαῖς* vicini erant inter se et ad orientem tendebant, ut per hos sub monte Parthenio via Argiva ducta esset, per Gareatas ea, qua Thyream iretur. Sic pagorum regiones restituerunt Od. Müller Dor. II, 443 et Curt. Pelop. I, 250. Paus. autem VIII, 54, 4 Orestis sepulcrum in via Thyreatica exstructum se contemplatum esse tradit. Ex qua re sequi videtur, ut in Gareatarum pago Orestes sepultus sit. Sed quum antiquissimo tempore certi termini pagorum sine dubio non constiterint, Gareatae autem in universum ei nominati sint, qui ad Garatam fluvium habitabant, is autem etiam per Corytheis fluat, aliqua cum verisimilitudine ad hos sepulcrum Orestis referri potest. Jam quid adepti sumus? Corytheis sunt ei, qui galeis cudendis operam dant, fabri ferrarii, itaque ab hoc nomine ejus pagi, in quo Orestes humatus esse dicebatur, tota illa fabula potest de fabro ferrario profecta esse. Quamquam hoc quoque dici potest, quod fabri ferrarii ibi habitaverint, hinc nomen pago datum esse. Nam et Mantinea, quae est finitima, antiquitus hoc artificio clara erat, et Parnon, mons vicinus, unus in Peloponneso ferri minis abundabat. (Curt. Pelop. I, 34). Neque exempla hujusmodi appellationis desunt. Quorum loco possunt esse quum *Θῆραι*, regio Laconica, quae venationibus nomen debebat, Curt. Pelop. II, 206 et 308, tum inter reliquos Tegeatarum pagos *Φυλακῆς*, qui fines adversus Lacones custodiebant atque defendebant, *Καρναῖται*, quorum ager nuces ferebat, ut ille alius vicus ejus-

dem nominis, qui ad Pheneatidem pertinebat Curt. Pelop. I, 199, *Γαρεᾶται*, qui ad Garatam fluvium habitabant, denique *Οἰήται*; nam *οἴη* idem est ac *κόμη*, et *οἰήται*, vox Sophoclea, idem ac *κομηῆται* (Phot. et Hesych.); *ἐν οἴαις* autem *τὰ πρόβαια καὶ τὰ ἄλλα βοτὰ νέμεσθαι* tradit schol. ad Apollon. Rhod. II, 139. Quae nomina sic verti possunt: Schmiede, Jagd, Wacht, Nussdorf, Anger. Ceterorum pagorum Tegeatarum nomina quid significant, non liquet. Itaque optimo jure *Κορυθαῖς* a ferro et armis cudendis nominati esse putari possunt. Quod autem Paus. addit: *καθ' ἡμᾶς δὲ οὐκέτι πωλῶν ἐντὸς ἐγίνετο ὁ τάφος*, quasi priore tempore intra pomerium stetisset, hoc ex Herodoteo oraculo videtur hausisse; sed *Τεγέη* ibi pro *Τεγεαῖς* positum est, ut saepissime fit. Id ipsum oraculum ex fabula, de qua agimus, natum est, cujus hi duo versus proprie huc pertinent:

*ἐνθ' ἄνεμοι πνεύουσι δυνὸ κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης*

*καὶ τύπος ἀντίτυπος καὶ πῆμ' ἐπὶ πῆμαυ κέϊται*

quibus verbis officina fabri indicatur. Denique ex Pausania exemplum afferre licet VIII, 8, 3. Quo loco traditur Antinoe ex oraculo quodam angue ducente homines Mantineam duxisse, ob eamque rem flumen, quod urbem perfluat, *Ῥοφίς* vocatum esse. Immo ex nomine fabula nata est. — Ergo in his quae commemoravimus exemplis, quod animadvertimus a nominibus fabulas profectas esse, idem in fabellam de Cypselo incidit. Nam ex ejus nomine fictum est, eum aliquando in cypsela quadam reconditum fuisse. Jam pergamus; neque enim Graeci haec finxisse satis habuerunt. Jam enim quaerebatur: cur infans in canistro absconditus est? Quia insidiae ei paratae sunt. Quis paravit et cur? Ei, quos potentia ac dominatione privaturus erat, Bacchiadae. Sed unde sciebant? Ecce oraculo opus est, quo periculum praedictum esset, itaque hoc compositum:

*Αἰετὸς ἐν πέτρῃσι κύει, τέξει δὲ λέοντα*

*Κάρτερον, ἄμνησθην, πολλῶν δ' ὑπὸ γούνατα λύσει.*

*Ταῖτά νυν εὖ φράζεσθε, Κορίνθιοι, οἱ περὶ καλῆν*

*Πειρήνην οἰκεῖτε καὶ θφρνόεντα Κόρινθον.*

Dici quidem possit, Bacchiadas sane neci infantis stuidisse propter odium parentum; sed hoc ab omni verisimilitudine abhorreere infra apparebit, ubi de Labda matre exponemus, quae sentimus. Nunc vero hoc oraculum paucis interpretari licebit.

*Αἰετὸς ἐν πέτρῃσι.* Has notiones ex *Actionis* nomine, qui in *Petra* pago habitaverit, desumas esse, facile apparet. Ita quum loqueretur, duas res spectabat poeta. Nam primum verbis ludebat. Deinde fraudi suae, vel si mavis auctoritati divinae callide ac caute hoc modo prospexit. Etenim ne se proderent et in manifesta fraude deprehenderentur ei

qui oracula fingebant, semper id agebant, ut ad similitudinem eorum, quae vere dita sunt, per ambiguitatem verborum tecte obscureque eventum praedictum esse simularent, quasi sacerdotes Delphici revera praenovissent ac praesensissent, sed aperte exhibere consilia divina noluissent. Talia oracula a Graecis nominabantur *χρησμοὶ κίβδηλοι* sive *ἀμφιδέξιοι*.

Eidem igitur studio amphiboliae, quod, ut opinor, in oraculo Croesi invenitur Her. I, 53 (cujus metrum ex Aristot. Rhet. III, 5 peto):

*Κροῖσος Ἄλιν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει*, ubi verba *μεγάλην ἀρχὴν* duplici sensu et Croesi et Cyri regnum significare possunt, eidem dico studio amphiboliae in compluribus oraculis falsis opera data est. Nam, ut exemplum ex antiquissimo tempore repetam, Apollo Orestem 'sororem' adducere jubens quum Iphigeniam intellegi velle, ille de Diana cogitavit. Simili modo in oraculo commenticio Her. I, 66 quum Pythia Lacedaemoniis promitteret:

*Λάισω τοι Τεγέην ποσσίκροτον δρχήσασθαι,  
καὶ καλὸν πεδῖον σχοίνῳ διαμετρούσασθαι,*

hi existimarunt, Tegea expugnata laetis se animis in agro hostium saltaturos et singulos *κλάρους* decempedis et funibus mensuros suisque helotibus arandos fodiendosque tradituros esse. Contra victos eos coactum iri in operibus rusticis solum pedibus pulsando densare et Alphei Lachaeque canales aedificare significatum est. Sic enim Herodoti narrationem ex Diniæ Argivi fr. 8 complere possumus, qui dicit: *λέγεται δὲ τοῖς Λακεδαιμονίους, καθ' ὃν ἐν Τεγέα χρόνον ἦσαν αἰχμάλωτοι, δεδεμένους ἐργάζεσθαι διὰ τοῦ πεδίου τὸν Λαχᾶν ποταμόν*. Porro Cleomenes Her. VI, 77 et 80 quum a Pythia comperisset, se *Ἄργος αἰρήσειν*, Argivorum rempublicam intellexit, sed nemus Argi herois significatum erat. Quamquam tum *Ἄργον* dicendum fuisset. Postremo Pausaniam afferimus tria hujusmodi exempla commemorantem VIII, 11, 10-12. Nam primum Epaminondas quum oraculum accepisset: *πέλαγος αὐτὸν φυλάσσειν*, mare et silvam quandam Arcadicam hujus nominis confudit: deinde Hannibal quum praedictum haberet: *ὡς ἀποθανὼν γῆ καλυφθήσεται τῇ Λιβύσση* Africam et regionem quandam Bithynicam animo commiscuit. Athenienses denique, quum tempore belli Peloponnesiaci *Σικελίαν οἰκίσειν* juberentur, Siciliam suspicati sunt dici, sed de Sicilia, qui est collis quidam exiguus in Attica situs, Pythia locuta erat. Quibus exemplis addi potest hoc, quod apud eundem IV. 20, 1 Pythia Aristomenem Messenium cavere jubet, ne *τράγος πίνῃσι Νέδης ἐλικόρροον ἴδωρ*, nam si hoc factum esset, Messeniam perituram. Nam quum ille *τράγους* capros intellexisset, Pythia oleastrum quandam significaverat, qui ad ripam Nedae satus eo anno, quo Messenia capta est, ramos

in fluvii aquam demisit. Etenim *ἐρινεὸν Μεσσηνιοὶ τράγον καλοῦσι*. — Eodem igitur modo etiam hoc loco Pythia quum de aquila et rupe loqueretur, Aetionem et Petram intellegi voluisse dicebatur, quam rem Bacchiadae non perspexissent.

Sed praeterea alterum quoddam annotandum est, praeter ambiguitates etiam allegorias, per quas hominum loco bestiarum vel rerum notiones ponerentur, in oraculis usitatas fuisse. Nam allegoria est, quod pro Aetione aquila, pro Cypselo leo substituti sunt. Etiam haec res et poetarum est et illi studio convenit, ut oracula aenigmatum similia reddantur. Sic in illo versu heroico Her. I, 55:

*Ἄλλ' ὅταν ἡμίονος βασιλεὺς Μήδοισι γένηται* mulus dictus est Cyrus, quia ex patre Persa et matre Meda procreatus esse fingebatur. Constat enim, ni fallor, hoc tempore inter homines doctos, Mandanam Cyri matrem non fuisse. Simili modo Her. IV, 164 Alazir, socer Arcesilai III, a Pythia *ταῦρος ὁ καλλιστεύων* dictus est: inter omnes victimas bos praeclarissimus. Nam *ταῦρος* h. l. hostiae notionem habet, et Alazir neci destinatus esse dicitur, velut Diod. IV, 23, *Ἡρακλῆς εἰς τὴν Κυάνην τὸν καλλιστεύοντα τῶν ταύρων καθ' ἀγίστας κατέδειξε θύειν τοὺς ἐγχωρίους κατ' ἐνιαυτὸν τῇ Κόρη κ. τ. λ.* Prorsus eodem modo de Philippo in oraculo scriptum est Diod. XVI, 91:

*Ἔσεται μὲν ὁ ταῦρος, ἔχει τέλος, ἔσιν ὁ θύσων.* Contra in aliis oraculis roboris atque vigoris notio bovis imagine repraesentatur. Sic est apud Herod. VII, 220 in oraculo Leonidae:

*Οὐ γὰρ τὸν ταύρων σήσει μένος οὐδὲ λέοντων ἀναβίην· Ζηρὸς γὰρ ἔχει μένος·*

et apud Pausan. X, 15, 3 in oraculo Attali:

*τάχα γὰρ σφιν ἀσσητῆρα Κρονίων ὀρμήσει, ταύροιο διοτρεφέος φίλον νιόν, ὃς πᾶσιν Γαλάτησιν ὀλέθριον ἤμαρ ἐφήσει*

qui addit: *παῖδα δὲ εἶπε ταύρου τὸν ἐν Περγάμῃ βασιλεύσαντα Ἄτταλον, τὸν δὲ αὐτὸν τοῦτον καὶ ταυρόκερων προσείρηκε χρηστήριον.* Prorsus tamen aliter exstat apud Pausan. IX, 17, 5: *Θελομένου ταύροιο κλυτοῦ μένει ἡελίοιο,* quo loco sidus bovis, quod est in zodiaco, significatur. Haec de bove; similiter anguis usurpatur in obscuro oraculo apud Herodotum VI, 77:

*δεινὸς ὄφις τριέλικτος ἀπώλειτο δουρὶ δαμασθεῖς.*

Nam ut Wesselingii verbis utar: 'Pythiae hoc responsum ex H. narratione plane non est. Praeterita sunt Telesillae documenta virtutis et prudentiae, petenda ex Pausan. II. 20'. Videtur autem hic anguis nodo triplici convolutus ad Lacorum populum et pubertatem referendus esse. Deinde *πῶλος* nominatur Helena Anthol. Pal. II, 574, quo loco Menelao et

Alexandro una Delphos profectis Pythia edidisse fertur: Venistis inimicissimi inter vos

ἦτοι ὁ μὲν πῶλοιο γόνον διζήμενος εὐρεῖν,  
αἰτιάσθ' ὁ πῶλον ἄγειν· τί νυ μήσεαι, ὦ μέγας Ζεῦ;

Similiter apud Her. I, 62 Pisistratus cum venatore, Athenienses cum thynnīs comparantur tum quum ille tertium urbe potitus est:

Ἐρριπται δ' ὁ βόλος, τὸ δὲ δίκτυον ἐκπεπέτασαι·

Θύννοι δ' οἰμήσουσι σεληναίης διὰ νυκτός. —

Hactenus de bestiis in sermone sacerdotali obviis; allegoriae autem ex *rebus* desumtae haec duo oracula exemplo sunt: primus Paus. IX, 37, 4:

ἰστοβοῆϊ γέροντι νέην ποτίβαλλε κορώνην

i. e. veteri aratri temoni novum adjice annulum ferreum, quibus verbis hoc indicatur: senem jube adolescentem puellam in matrimonium ducere; deinde illud oraculum, quod supra tetigimus Her. IV, 163, in quo κάμινος pro turri, ἀμφορεῖς pro adversariis dicta sunt. Praeterea id afferendum est, quod saepe urbs aut civitas quaedam cum hominis corpore humanis membris praedito comparatur. Sic in Atheniensium oraculo Her. VII, 140 Pythia de Athenis hunc in modum loquitur:

οὔτε γὰρ ἡ κεφαλὴ μένει ἔμπροσθεν, οὔτε τὸ σῶμα,  
οὔτε πόδες νέαντοι οὔτ' ὧν χέρσες, οὔτε τι μέσσης  
λείπεται, ἀλλ' αἰθρηλα πέλει.

Deinde de Argivorum civitate haec edit: Her. VII, 148

εἶσω τὸν προβόλαιον ἔχων πεφυλαγμένος ἦσο  
καὶ κεφαλὴν πεφυλάξο· κάρη δὲ τὸ σῶμα σαώσει.

Qua re factum est, ut saepe in oraculis populum quendam per singularem numerum pronominis Pythia alloquatur. Denique conferri potest etiam id oraculum, quod Glaucō editum esse fertur:

ἀλλ' Ὅρκου πάϊς ἐστὶν ἀνώνυμος, οὐδ' ἐπι χεῖρες  
οὐδὲ πόδες· κραιπνὸς δὲ μετέρχεται, εἰσόκε πᾶσαν  
συμμάρψας ὀλέσει γενεὴν καὶ οἶκον ἅπαντα.

Hoc igitur modo etiam Aetion et Cypselus cum aquila et leone comparati sunt. Et leo quidem, quamquam apud Homerum et in somnio Hipparchi Her. V, 56: Τλήθει λέων et alibi saepissime magnificentiam et ingenuitatem indicat, hoc tamen loco magis crudelitatem et immanitatem propter versum qui sequitur repraesentare mihi videtur. Unde patet, in gratiam Bacchiadarum hoc oraculum compositum esse, quasi de periculis instantibus et futuro diri hostis impetu deus benevolus eos certiores facere voluisset. Ille autem usus probatur loco Theognidis 294, ubi de Theagene tyranno, ni fallor, sermo est:

Οὐδὲ λέων αἰεὶ κρέα δαίννεται, ἀλλὰ μιν ἔμπης  
καὶ κρατερόν περ ἐόντ' ἀγρεῖ ἀμηχανίη.

et Euripidis in Med. 1407, quo loco Jason Medeam *μυσαρὴν καὶ παιδοφρόνον λέαιναν* nuncupat. —

*ἄμνηστίς* est vocabulum Homericum, ut *Π. Α. 454 οἰωνοὶ ἄμνησταί.* Etiam id quod sequitur:

*πολλῶν δ' ὑπὸ γούνατα λύσει* notissima formula epica est; quibus verbis, quae Herodotus infra scripsit, significantur: *πολλοὺς μὲν Κορινθίων ἐδίωξε, πολλοὺς δὲ χρημάτων ἀπηστέρησε, πολλῶ δ' ἔτι πλείστους τῆς ψυχῆς.* — Atque quum Homeri mentio injecta sit, in universon animadvertendum est, oracula ut epico versu composita sint, sic dictionem quoque epicae simillimam praebere. Haec enim solemnitas erat et gravis et ad omnem vaticinationem accommodatissima. Sed imprimis commenticioꝝ oraculoꝝ poetae de industria epica dictione usi esse mihi videntur. Nam quum Homerus omnibus ab unguiculis esset notissimus et a compluribus memoriter edisci soleret, saepissime fiebat, ut quotiescunque aliquid accidit, locutionis Homericæ hominibus in mentem veniret et Homericis ab eis versus recitarentur, qui ad id, quod venerat, apti essent. Itaque si quis oraculum, quo aliquid praedictum esse simularet, fingere volebat, epicis aut verbis aut locutionibus conjungendis et contaminandis facillima opera assequi id poterat. Nam quo notiora ac tritiora ea erant, quae proferebat, eo facilius jam ante eventum a Pythia edita atque praedicta esse hominibus persuadere poterat. Deinde vero hoc quoque fingentibus semper curae erat, ut verorum oraculoꝝ dictionem atque orationem imitarentur. Exempla autem hujus usus ex omnibus fere oraculis desumi possunt. Sed ut pauca egregia afferam, in oraculo *Her. VI, 77* totus versus Homericus est:

*ὣς ποτὲ τις ἐρέει καὶ ἐπεσσομένων ἀνθρώπων*

item apud *Pausan. X, 9, 11:*

*Ζεὺς ὑψιβρομέτης, οὐπὲρ κράτος ἐστὶ μέγιστον*

qui est apud *Hom. Od. E, 4;* et alius *X, 24, 3:*

*ἔσσειται ἀθάνατος καὶ ἀγήραος ἡματα πάντα*

oraculi autem, quod apud *Herod. I, 67* exstat, primaria forma prorsus ex Homericis locutionibus composita est. Primaria enim forma ut infra exponemus haec erat:

*Ἔστω τις Ἀρκαδίας Τεγέῃ λεύρω ἐνὶ χώρῳ*

*ἔνθ' Ἀγαμεμνον ἰδὴν κατέχει φροσύζους αἶα.*

est autem *ἔστω τις* formula epica usitatissima, exstat autem *λευρῶ ἐνὶ χώρῳ* *Od. H, 123,* *Ἀγαμεμνονίδης* *Od. A, 30,* *κατέχων φροσύζους αἶα* *Π. Γ, 243;* Aliis exemplis supersedere possumus.

*Φράζεσθε* haec est vox sollemnis saepeque usurpata in oraculis. Sic exstat *Her. III, 57* *τότε δὴ δεῖ φράζμω-νος ἀνδρὸς φράσασσθαι κ.τ.λ. VIII, 20* *φράζω ἀπέχων,* *Pausanias III, 8, 9,* *φράζω δὴ, μὴ βλάβη χωλῇ βασιλείᾳ* *IV, 12, 4* *φράζον μὴ λόχος ἀνέλθῃ,* *VII, 25, 1* *φράζω δ' Ἄρειον δὲ πάγον,*

X, 18, 2: ἄλλ' ἄγε δὴ φράζεσθε λάχος, IX, 14, 3: οὐδέ τις αὐτήν (μάχην) φράσσειται. Anthol. Palat. II, 568: φραζέσθω μὴ πᾶσιν ἐνιπρήσαιμι θάλασσαν. Omnino certae quaedam et solemnes formulae oraculorum propriae videntur fuisse, aut certe frequentes in eis sunt. Sic saepe ἄμεινον, λώϊον, κάλλιστα, ἄριστον inveniuntur, quibus locutionibus ea quae diis placent quaeque bono omine fiunt exprimi solent. Exempla haec sunt: Her. I, 85 τὸ δέ σοι πολὺ λώϊόν ἐστι. IV, 15 et V, 82, V, 114 ἄμεινον συνοίσεσθαι IV, 156 ἄμεινον πρήξειν I, 31: ὡς ἄμεινον εἶη, VI, 86, 3 ἀνδρὸς δ' εὐόρκου γενεῇ μετόπισθεν ἀμείνων, cujus loco apud Paus. VIII, 7, 8 ἀρείων scriptum est; Plut. Lys. 26: ὡς ἄμεινον εἶη καὶ λώϊον; in interrogationibus consulentium autem invenitur: Her. IV, 161: πῶς κάλλιστα οἰκέοιεν, VII, 141 χρῆσον ἡμῖν ἄμεινόν τι περὶ τῆς πατρίδος 148: ὡς σφι μέλλει ἄριστον ποιῆσαι γενέσθαι VII, 169: εἰ σφι ἄμεινον γίνεται. Idem significat quod in Laii Labdacidae oraculo est: τότε σοι μόρος ἐστίαι pro quo in Anth. Pal. II, 565 legitur πεπρωμένον ἐστί, et deinde ὡς γὰρ ἔνευσε Ζεὺς, quocum conferri potest Paus. IV. 12, 7 Ζεὺς γὰρ ἔνευσε οὕτως. Saepissime particulis ἄλλ' ὅταν oracula incipiunt, quibus deinde respondet τότε, δὴ τότε, καὶ τότε. Sic exstat apud Her. I, 55: ἄλλ' ὅταν — καὶ τότε, nisi forte hoc καὶ ex priore oraculi parte, quae interiit, intelligendum esse existimandum est, quae difficultas Porsonum adduxisse videtur, ut in advers. p. 311 δὴ τότε corrigendum esse proponeret. Her. III, 57: ἄλλ' ὅταν-τότε δὴ; VI, 19 τότε δὴ, quo loco similiter καὶ ex eis pendet, quae antecesserant; sive id fuit oraculum VI, 77, ut ait Herodotus, sive aliud quid; VIII, 77 post ἄλλ' ὅταν talis particula non sequitur; sed sententia proxima cum τότε incipit; Paus. IV, 27, 4 in oraculo manco: καὶ τότε δὴ, IX, 17, 5: ἄλλ' ὅποταν — καὶ τότε δὴ, X, 9, 11: καὶ τότε in oraculo manco, X, 15, 3 δὴ τότε X, 24, 3: καὶ τότε, Plut. Pyth. or. 14: ἄλλ' ὅποτε — τότε. Porro saepe vaticinationes ita incipiunt: ἦκεις sive ἦλθες, ut hoc interrogares aut quaereres: tum insequitur: δίδωμι aut διδοῖ ὁ θεός, quae vox multam habet gravitatem. Sic in oraculo Lycurgi Her. I, 65 ἦκεις ὦ Λυκόοργε, Diod. VII, 11: ἦκεις δ' ἐννομίαν αἰτεύμενος, ἀντάρ ἐγὼ τοι Δάσω, qui versus paullo mutatus est in Anth. Pal. II, 568: ἦλυθεν ἐννομίην διζήμενος ἀντάρ ἐγὼ τοι Δάσω. Deinde Her. I, 66: Ἀρκαδίην μᾶϊτεῖς; μέγα μᾶϊτεῖς· οὐ τοι Δάσω. Δάσω τοι Τεγέην; IV, 163 διδοῖ ὑμῖν Λοξίης βασιλεύειν Κυρήνης, 155: Βάντ' ἐπὶ φώνην ἦλθες. VII, 141: διδοῖ ἐνρήοπα Ζεὺς. Tum in illo quod tetigimus oraculo:

Αἰεὶ Λαβδακίδη, παιδῶν γένος ὄλβιον αἰτεῖς; δᾶσω τοὶ φίλον υἱόν Paus. IV, 12, 4: κῦδος σοι πολέμοιο διδοῖ θεός; VII, 2, 1 δίδωσι ἢ Πυθίαι βασιλείαν 12, 7: γαίαν Μεσσηνίδα δαίμων δίδωσι VIII, 42, 6

ἦκετε πεινόμενοι λιμοῦ λύσιν IX, 37, 4:

ὄψ' ἦλθες γενεὴν διζήμενος X, 1, 4:

νίκην δ' ἀμφοτέροις δώσω X, 18, 2:

ἦλθετε πεινόμενοι X, 24, 2: πατρίδα διζῆσαι. Denique videtur certa vocabula deus quasi dilexisse. Cujus generis sunt: φυλάσσειν Her. VII, 148 πεφυλαγμένος ἦσο, καὶ κεφαλὴν πεφυλάξο Paus. IX, 17, 5 πεφυλάξο, X, 24, 2: ἀλλὰ νέων παίδων αἰνίγμα φίλαξαι Diod. VII, 12: τὴν δὴ πεφυλάξο μάλιστα. ξύλιον τεῖχος et ξύλινος λόχος pro navibus Her. VII, 141 et III, 58 λόχος Paus. VII, 12, 4, βαλανηφάγοι Her. I, 67 et Paus. VIII, 42, 6, βαρβαρόφωνος Her. VIII, 20, IX, 43.

Haec quae collegi nondum sufficere haud ignoro, sed omnia hujusmodi huc afferre et longum est et alienum ab hoc loco; hoc tantum monere volui, certam quandam dictionem in oraculis agnosci posse.

οὐ περὶ καλὴν Πειρήνην οἰκεῖτε. Explicatio horum verborum inde pendet, quid de Pirena fonte statuendum sit. Et veterum quidem sententiae hac de re inter se discrepant. Nam primum Strabo dicit 379: Πειρήνην κρήνην, ἔκρυσιν μὲν οὐκ ἔχουσαν, μεσίτην δ' αἰεὶ διανγοῦς καὶ ποίμου ὕδατος. Sed idem sic pergit: φασὶ δὲ καὶ ἐνθ' ἐνδε καὶ ἐξ ἄλλων ὑπονόμων ἠνῶν γλεβίων συνθλίβεσθαι τὴν πρὸς τῇ ῥίξῃ τοῦ ὄρους κρήνην ἐκρέουσαν εἰς τὴν πόλιν. Ipse igitur sine dubio Pirenā in arce tantum reperit. Contrarium Pausanias annuere videtur. Tradit enim II, 3, 2 haec: in ea via, qua a foro Corinthiaco Lechaeum ibatur, ἔσοδος ἔστι τῆς Πειρήνης εἰς τὸ ὕδωρ, aditus est atque introitus ad aquam Pirenae. Pirena igitur fons cancellis circumdatus erat. Nam de fonte ac capite rivi cogitandum esse, ostendunt verba quae sequuntur: ἐπὶ δὲ αὐτῇ i. e. ἐσοδοῦ, i. e. illo loco, ubi postea ad aquam fontis accedebatur, λέγουσιν, ὡς ἡ Πειρήνη quae erat Acheloi aut Oebali filia, uxor autem Neptuni: Paus. II, 2, 3, γένοιτο ὑπὸ δακρύων ἐξ ἀνθρώπου πηγῆ, quae verba illic ex monte prodire vivae aquae flumen significant. Jam pergit: κεκόσμηται δὲ ἡ πηγὴ λίθῳ λευκῷ, καὶ πεποιημένα ἐστὶν οἰκίσματα σπηλαίοις κατὰ ταυτιά, ἐξ ὧν τὸ ὕδωρ εἰς κρήνην ὑπαιθρον ἔξει. Saliebat igitur aqua ex monte et antris naturalibus, sed manu excisis et politis ita, ut primum in parvo lacu, velut in receptaculo quodam, se colligeret et deinde proflueret atque delaberetur. Nam κρήνη, quae vox arctiorem vim habet, hoc flumen significat, quod ὑπαιθρον dicitur, quia tum primum aqua sub Jove est. Πηγῆ autem ampliore sensu accipiendum est et totum locum, ubi fons est, indicat, quare Paus. πηγῆ κεκόσμηται scripsit: totus locus marmoribus cinctus est. Ergo Pausanias Pirenā infra in urbe oriri putavit. Sed etiam in alio loco II, 5, 1 quum de fonte aliquo, qui sit in Acrocorintho, agat, addit: ἡκοῦσα δὲ τὴν Πειρήνην φραμένων εἶναι

*αὐτήν, καὶ τὸ ὕδωρ αὐτόθεν ὑπορρεῖν τὸ ἐν τῇ πόλει.* Uterque igitur contrarium credit atque alter, sed uterque etiam id, quod alter statuit, audivit. Dicendum igitur est, Pirenam in acropoli oriri, perfluere montem via occulta atque ignota et eo loco, quem Paus. indicat, denuo in lucem prodire. Qui sine dubio idem est atque is, quem Strabo annuit dicens: *πρὸς τῇ ῥίζῃ τοῦ ὄρους.* Urbs enim Corinthus sub ipsis radicibus totius montis sita erat. Forum autem in media urbe erat, unde tres viae tendebant, prima orientalis Cenchrealis, altera septentrionalis Lechaeica, tertia occidentalis Sicyoniaca. In initio autem secundae Pausanias fontem Pirenae aspexit. Itaque si ea, quae duo illi scriptores tradunt, inter se conciliare volumus, forum ad meridiem urbis prope montem adjacuisse existimandum est. Et huic sententiae nihil obstat. — Praeter eos Euripides Pirenam commemorat. Quodsi paedagogum in prologo Medae ita loquentem facit (v. 67)

*ἤκουσά του λέγοντος, οὐ δοκῶν κλύειν,  
πεσσοῦς προσελθών, ἔνθα δὴ παλαίτατοι  
θάσσουσι, σεμνὸν ἀμφὶ Πειρήνης ὕδωρ*

sine dubio inferiorem urbem ejusque rivum intellegi vult. Quare schol. simpliciter ascripsit: *Πειρήνη κρήνη ἐν Κορίνθῳ.* Etiam Athenaeus II, 43, B. scribens: *ἢ ἐν Κορίνθῳ Πειρήνη* et XIII, 588, C, ubi Apellam pictorem Laida vidisse tradit *ὑδροφοροῦσαν ἀπὸ τῆς Πειρήνης,* de eo rivo cogitat, qui in urbe erat. Pindarus denique Ol. XIII, 60 haec cecinit: *τοῖσι μὲν (Δαναοῖσι) ἐξεύετο (Γλαῦκος Λύκιος) ἐν ἄσιτι Πειράνας σφαιτέρου πατρὸς (Βελλεροφῶντος) ἀρχὰν καὶ βαθὴν κλῆρον ἔμμεν καὶ μέγαρον,* praedicavit Glaucus potentiam et divitias et regiam Bellerophontis patris (vel potius avi) *ἐν ἄσιτι Πειράνας.* Num haec est Corinthus an Acrocorinthus? Constat Sisyphum ejusque subolem in Acrocorintho habitasse. Practerea hoc quoque traditum est, Pegasum per aëra volantem in Acrocorintho ex aethere delapsum esse ibique ex Pirena bibisse, in eodem loco Bellerophontem frustra conatum esse eum domare, ut exponit Preller Myth. Gr. II, 81. Quum igitur Pindarus ipse in eis quae sequuntur de domito *ἀμφὶ κροννοῖς* Pegaso narret, verisimile fit, eum hoc loco acropolin intellegi voluisse. Ac tamen *ἄστυ* vix puto pro arce dictum esse. Nam ad Hom. Il. P, 144 *φράζεο νῦν ὄππως κε πόλιν καὶ ἄστυ σαώσεις,* ipse Eustathius dubitat, utrum *ἄστυ* Homerus dicat arcem, *πόλιν* reliquam urbis partem in inferiore loco sitam, aut vice versa, an *ἐκ παραλλήλου* haec duo pro uno posita sint. Sed addit, *πόλιν* veteres hic intellexisse *πολιτείαν,* at vero *ἄστυ τὸ τεῖχος,* itaque ‘civitatem’ aut ‘republicam’ et ‘oppidum’. Unde tamen vix sequitur, ut *ἄστυ* etiam ‘arcis’ vim habuerit, sed censendum est nihil signifi-

care nisi oppidum, quod ruri opponatur, quo sensu etiam Dem. 57, 43 dixit: *ἄστυν καὶ πολίταν*, et Diod. VII, 18: *καὶ ἄστυ καὶ πόλιος*. Dicendum igitur est, Pindarum non accurate esse locutum, sed urbem Corinthum in universum significasse, ad quam etiam arx pertinebat. Itaque ne hinc quidem certi quicquam ad rem de qua agitur definiendam efficitur.

Ergo quum Pirenam et Acrocorinthi et in urbe fuisse demonstratum sit, quomodo oraculi verba interpretabimur? utrum, qui circa montem, in quo fons ille est, an potius, quum scriptores veteres hoc commendare videantur: qui ad ripas rivi, qui urbem perfluit, habitatis? Nam *περὶ* utrumque significat. Jam videamus de verbis quae sequuntur.

*ὄφρονέντα Κόρινθον*. *ὄφρονέεις* superciliosus significat, deinde ut ait Suidas: *ὑψηλὸς ἀποκρημνός*, altus editus. Sic Anth. Pal. II p. 553 dicitur:

*λοῦομαι ἀενάοισι δύνω ποταμοῖσι θανοῦσα  
οὓς κορυφή προΐησιν ἐπ' ὄφρονέντι κολωνῷ.*

Optimo igitur jure hoc loco, de quo agimus, *ὄφρονέεις Κόρινθος* Acrocorinthus, qui est mons MDCCLXX pedes altus, intellegi potest. Nam *Ἀκροκόρινθος λέγεται καὶ Κόρινθος ἀπλάῳς*, ut ait Stephanus. Sed adsunt alii quoque loci. Sic Hom. II, X, 408 de Priamo canit:

*ᾄμωξεν δ' ἔλεϊνὰ πατὴρ φίλος, ἀμφὶ δὲ λαοὶ  
κακυτῷ ἰεΐχοντο καὶ οἰμωγῇ κατὰ ἄστυ.  
Τῷ δὲ μάλιστ' ἄρ' ἔην ἐναλίγκιον, ὡς εἰ ἅπασα  
Ἴλιος ὄφρονέεσσα πυρὶ σμύχουτο κατ' ἄκρης.*

Similiter in Anth. II, p. 168 Agamemno, postquam audivit, Achillem se contra hostes armare exclamat:

*Ἴλιος ὄφρονέεσσα κατήριπεν.*

His locis non Pergamum arcem, sed Trojam urbem significari perspicuum est. Quae revera edita dici poterat, sita enim erat in tumulis, qui inter Pergamum acropolin et fontes eos sunt, qui in vicinitate hodierni Bunarbaschi saliant. Quare etiam aliis locis Troja vocatur: *Ἴλιος αἰπεινή* et *ἡνεμόεσσα*. Troja igitur urbs, non Pergamum, erat, quae *ὄφρονέεις* appellabatur; sic etiam Corinthus ipsa alta nuncupari potest, ut de arce cogitari non sit necessarium. Nam ne ea quidem in planitie, sed in campo edito et CLXX pedes alto sub radicibus Acrocorinthi sita erat, unde praecipiti atque directa via Lechaeum descendebatur. Est igitur hic collis revera *ἀποκρημνός* praeruptus. De qua re vide Curt. Pelop. II, 524. Eodem igitur jure his quoque verbis et arx et urbs denotari poterat. — Jam ex verbis Strabonis explicatio petenda est, qui 382 dicit: *χώραν δ' ἔσχεν (Κόρινθος) οὐκ εὐγεῶν σφόδρα ἀλλὰ σκολιάν τε καὶ τραχεῖαν, ἀφ' οὗ πάντες ὄφρονέντι Κόρινθον εἰρήκασι καὶ παροιμιάζονται*.

*Κόρινθος ὄφρονά τε καὶ κοιλαίνεται.*

Est igitur *Κόρινθος* pro *Κορίνθια*, ut supra *Τεγέη* pro *Τεγεαίτις* et terra *ὄφρυόεσσα* ea, in qua diversis locis montes colles clivi, qui remoti sunt ac distant inter se, existunt, inter quos valles interjectae sunt: terra ‚montuosa ac saxosa’. Et haec est propria vis hujus vocabuli. Nam terminatio —*όεις* ut Romanorum ‚osus’ significat ‚plenus alicujus rei’, itaque *ὄφρυόεις* ‚plenus superciliorum’ valet. Quamquam haec propria vis alibi, quantum scio, non exstat. Terram autem Corinthiacam revera sic comparatam esse, ostendit Curt. Pelop. II, 515. Itaque verba oraculi difficiliora intellectu, quam primo obtutu videntur, hoc modo vertenda sunt: ‚qui apud praeclaram Pirenem incolitis et in terra Corinthia montuosa.’

Jam unum superest, quod commemoratione indigeat. Nam in Anth. II, 570 duo posteriores versus hujus oraculi desunt, ut totum ex duobus tantum constet. Quae res testimonio videtur esse, oracula commenticia non semel in lucem prodiiisse, sed paullatim in eam formam ac magnitudinem concrevisse et coaluisse, quae apud scriptores exstat. Nam primum nimirum exigua tantum corpuscula nihil nisi ea, quae necessaria erant, continentia ficta sunt, deinde vero alia quoque membra ab audacioribus poetis adjuncta. Cujus rei indicia multa in eis oraculis sunt, quae ad nos pervenerunt; nam et multa, si a pluribus scriptoribus afferuntur, apud hunc ampliora sunt, quam apud illum, et saepenumero, sin hoc minus factum est, oracula tamen in particulas suas disjungi atque dividi facili opera possunt. Sic in oraculo Her. I, 47 tres novissimi versus primum nati sunt, quibus breviter res describitur, tum vero, ut asyndeton indicat, duo priores praefixi, locum communem continentem, desumpti ex religioso quodam aut Orphico carmine. Nam in oraculis Sibyll. VIII. p, 749 ed. Gal. soli inveniuntur. Deinde oraculum Lycurgi I, 65 apud Diod. VII, 11 his duobus versibus auctum exstat:

*ἦκεις δ' εὐνομίαν αἰτεύμενος· αὐτὰρ ἐγὼ τοι  
δώσω, τὴν οὐκ ἄλλη ἐπιχθονίῃ πόλις ἔξει,*

qui non jam ideo veri non sunt, quod Lycurgus leges suas e Creta ascivit. Sed repetita voce *ἦκεις* facile adnecti aliquid poterat, *ἦκεις αἰτεούμενος* autem, ut supra ostendimus, formula erat usitata, voce autem *εὐνομία* Lycurgi *πολίτεια* inscripta erat. In Anthol. autem II, 568 forma oraculi commutata exstat hunc in modum:

*Ὀλβιος οὗτος ἀνὴρ, ὅς νῦν κατὰ λάϊνον οὐδὸν*

*Φοίβου Ἀπόλλωνος χρηστήριον εἰσχαναβαίνει·*

*ἤλυθεν εὐνομίαν διζήμενος· αὐτὰρ ἐγὼ τοι κ. τ. λ.*

Videmus igitur, omnino non constitisse hujus oraculi formam. sed modo brevioris modo amplioris, praeterea etiam diversis verbis scriptam esse. Ultimus autem Goettlingius in Ber. d. Leipz. Ges. d. W. 1846. p. 136. vel magis adauxit. Qui

quum illos sex omnes versus et genuinos et gravissimos habeat, cum eis etiam aliud oraculum VII versuum (apud Diod. VII, 12) et nonnullos versus e Tyrtaei carmine, quod est *Εὐνομία* desumptos conjungit, totum autem carmen hoc modo constitutum ut prooemium quatuor rhetris Lycurgi (Plut. Lyc. 6 et 13), quae versu heroico compositae fuerint, — quos ipse renovare conatus est —, praemissum fuisse vult. Cui merito oblocutus est Urlichsius in Mus. Rhen. 1848 p. 194.

Deinde in oraculo, quod invenitur I, 67, quatuor quasi aetates discernere mihi videor. Nam primum primus et quartus versus in lucem prodierunt ex verbis Homericis compositi, argumentum simpliciter exhibentes eodem modo, quo apud Paus. VIII, 9, 4 dicitur :

*Ἔσσι δὲ Μαιναλίη δυσχείμερος, ἔνθα τε κείται*

*Ἀρκάς, ἀφ' οὗ δὴ πάντες ἐπίκλησιν καλέονται.*

Deinde, ut ostendit repetitio particulae *ἐνθα*, secundus et tertius, qui officinam fabri ferrarii indicant, inculcati sunt. Haec enim fabula non ante quam expugnata Tegea in pago *Κορυθαίων* jacere Orestem compertum est, ficta esse potest. Tum quintus versus additus, in quo vox quae est *ἐπιτάροθος Τεγέης* adjutor contra Tegeam eodem modo usurpata est, quo in Aeschyl. Sept. 350: mors, *παγκλαύτων ἀλγέων ἐπίδροθος*. Postremo vox *Τεγέη* in *γαίη* commutata est, ut aenigma difficilius fieret solutu; sic enim exstat apud schol. ad Aristid. pag. 213 Frommel; sed *γαίη λευρῶ ἐνὶ χώρῳ* ineptum est.

Tum oraculo, quod est Her. IV, 155, apud Diod. VIII, 38 septem versus adjecti sunt, quibus certamina Batti cum Libyis praedicuntur. Quae tamen Herodotus ignorat. Fortasse ab auctore illorum versuum commistus est Battus I cum Batto II, quem feliciter contra Libyos et Aegyptios bellum gessisse Herod. IV, 159 tradidit. — Similiter oraculi Her. IV, 163 posterior pars prius composita est, quam superior; quum enim illa vivo Polycrate post reditum Arcesilai III subdita esset, haec C annis post, ut primum Arcesilai IV et Battus V mortui sunt, praefixa est.

Deinde VI, 77 oraculum primo ex tribus tantum versibus constitit, qui soli reperiuntur apud Paus. II, 20, deinde IV et V *ἀσυνδέτως* exornandi causa adjecti sunt. Denique apud Paus. X, 24, 2 oraculum exstat de patria Homeri, in qua etiam sepulcrum habiturus sit. In Anth. vero II, 564 obscurum carmen X versuum idemque mancum exstat, cujus duo priores versus cum duobus prioribus Pausanianis concinunt; sed eis qui sequuntur patria Homeri uberior describitur: insulam quandam esse quae Jus sit velut apud Paus. necne non liquet, in eadem eum moriturum esse; deinde de ejus felicitate et adversa fortuna exponitur. Ei

autem versus, qui apud Paus. posteriores sunt, illic separatim oraculum efficiunt. Postremo oraculum Laii, quod in Anthol. II, 565 ex tribus versibus constat, in argumento Aristophanis grammatici ad Phoenissas Euripidis duobus versibus auctum invenitur, quibus causa, cur in tantas Laius calamitates inciderit, exprimitur. Hi sunt:

*Ζεὺς Κρονίδης Πέλοπος στυγεραῖς ἀραῖσι πιθήσας  
οὐ φίλον ἤρπασας νιόν· ὁ δ' ἠϋξαστό σοι τάδε πάντα.*

Praeterea in utroque II et III versus diverse scripti sunt. Nam in Anthol. hanc formam habent:

*δώσω τοῖ φίλον νιόν· ἀτὰρ πεπρωμένον ἐστί  
σοῦ παιδὸς χερσὶν λειψεῖν φάος· ὡς γὰρ ἔνευσα.*

in argumento illo hanc:

*τέξεις μὲν φίλον νιόν· ἀτὰρ τόδε σοι μόρος ἐσται  
παιδὸς ἐοῦ χεῖρεσσι λιπεῖν βίον· ὡς γὰρ ἔνευσε  
Ζεὺς κ. τ. λ.*

Quae res testimonio est, omnino in oraculis falsis lectiones non constituisse, sed ab aliis aliter commutatas esse, cujus rei multa exempla congeri possunt. Sic oraculi verba I, 47 differunt in nonnullis a titulo quodam, qui est apud Boeckh. C. J. I, p. 487 et id quod I, 65 invenitur, commutatum est apud Schol. Aristid. p. 108 et Diod. VII, 11. Sed quantum video hoc nonnisi in commenticia oracula cadit; nam vera sanctiora erant et integriora, quam ut aliquis verba eorum interpolare auderet.

Nunc ad secundum oraculum quod Aetioni ipsi editum esse fertur transgrediamur. Aetioni Amphionis cujusdam Bacchiadae filiam claudam nomine Labdam, quam ipsi Bacchiadae respuissent, nupsisse. Quae cum sterilis fuisset, illum Delphos profectum esse, ut de liberorum procreatione Apollinem consuleret. Quem nuntiasse, jam gravidam esse Labdam et filium parturam, qui Bachiadas regno ac dominatione privaturus esset. Ob eandem rem apud Nicol. fr. 59 Cypselus Ἡρακλείδης ἐκ κήδους γυναικείου, apud Diog. Laert. I, 94 Perianther ἀπὸ τοῦ τῶν Ἡρακλειδῶν γένους dicitur. Haec quoque ut pro veris haberi possint, vehementer vereor.

Etenim ex antiquissimis temporibus indigenae, tum Aeolenses et Minyae, deinde Jones et Aethioli Corinthum tenebant. Postea Aletes Heraclida, quisquis fuit, et Dores, qui a Solygeo impetu fecerunt, urbe potiti sunt et incolas vetustiores sibi subdiderunt. Inter eos primo reges enumerati a Diod. VII, 7 dominationem exercuerunt, ex quibus Bacchis successoribus Bacchiadarum nomen reliquit. Deinde regno caedibus consanguineorum perturbato regium imperium ita sustu-

lerunt, ut eorum loco singuli magistratus quos Graeci *πρωτά-  
νεις* vocant, se excipientes quotannis deligerentur. Hoc Ol.  
octava XC annos ante Cypseli tyrannidem, quae Ol. 31 coe-  
pit, factum est; princeps autem horum rectorum Automenes  
fuit. Erat igitur Corinthi Dorica aristocratia, in qua duo ge-  
nera hominum separabantur: alteri Dores nobiles (*οἱ καλοὶ  
κἀγαθοὶ*), qui rempublicam administrabant, alteri reliqua ig-  
nobiliū multitudo (*οἱ κακοὶ, πονηροὶ, δειλοὶ*) Graeco voca-  
bulo *περίοικοι* nominata. Omnes autem propter magnum *τῶν  
περίοίκων* numerum non in tres, velut in aliis civitatibus Do-  
ricis, sed in octo tribus divisi erant. Jam notum est, quant-  
opere in omnibus Doricis civitatibus nobiles, qui eis praeerant  
ac magistratibus fungebantur, ceteris oppositi ac contrarii  
esse voluerint, omnemque cum eis consuetudinem commer-  
cium connubium respuerint ac rejecerint. In urbibus autem  
maritimis, ut Sicyone Argis Epidauri, vel magis opus erat, ut  
a perioecis se removerent ac sejungerent, inter se vero fir-  
missima concordia conspirarent ac consentirent; ubi et anti-  
quitus habitabant gentes praeclarissimae, quae numero nobi-  
litate longe superabant, et aliorum populorum varia multi-  
plexque turba undecunque conveniebat. Quo magis autem  
metuendi erant subjecti, eo pervicacius ac contumacius sua  
jura ac privilegia retinere studebant Dores; quin etiam odium  
haud lene inter utrosque exsistebat. Quae causa fuit, ut  
exemplo utar, cur Sicyone Clisthenes tyrannus, prostrata no-  
bilium potestate, postquam suam tribum *Ἀρχελαῖος*, extulit  
et principem fecit, in Doricas omnia convicia ac maledicta  
cumularet.

Idem in Corinthum cadit. Summa nullisque finibus cir-  
cumscrip̄ta potestas penes Dores nobiles erat; quicquid juris  
et imperii fuit, arbitrium vitae necisque severissime exerce-  
bant, omnes magistratus inter se per manus tradebant. Quo  
magis autem plebis animi ad altiora surgebant, eo tenacius  
reipublicae gerendae et gubernandae munus intactum atque  
integrum sibi vindicabant et invidiose vigilantissimeque cave-  
bant, ne plebs ulla ratione in jura sua invaderet et ne dig-  
nissimo quidem viro humili loco nato ad honores publicos  
ascendere liceret. Cives igitur discindebantur et dirimeban-  
tur in duo hominum genera contraria hostiliaque inter se  
nunquamque consocianda, quorum minor pars fuit dominan-  
tium et opprimentium, major parentium et oppressorum, sed  
vis paucorum in unum collecta, multitudinis soluta ac dis-  
persa. In dies autem illorum opes ac divitiae, cumque eis  
luxuria avaritia superbia arrogancia creverunt, quorum exem-  
pla Wagner, cui partem eorum quae expono, debeo in progr.  
Darmstad. 1856: de Bacchiadis Corinthiorum collegit. Erat  
igitur maxima non solum aristocratia, sed oligarchia talis,

qualis solet tum exstare, quum audacibus hominibus tyrannidem arripere succedit. Tum enim nobilitas potentia atque insolentia ad summum fastigium evecta esse solet. Fert natura, ut Dores Corinthiaci id temporis ab omni commercio et connubio cum plebe quam maxime abhorruerint, ut ait ipse Herodotus: *ἐδίδοσαν καὶ ἤγοντο ἐξ ἀλλήλων*. Quibus nimirum summi momenti erat, ne sanguine cum ceteris mixto aequato polluto potestatis jus in dubium vocaretur et ipsa labefactari evertique posset. Quare, ut exemplo utar, etiam Romanorum patricii contra plebejorum connubium tam diu contendebant; etiam Samiorum popularis factio conferri potest, quae optimates a connubio arcebat Thucyd. VII, 21.

Quae quum ita sint, Bacchiadas, gentem principem ac dominantem et ceteris Doribus vel potentiozem ac nobiliozem, homini plebejo unam ex se in matrimonium dedisse contra omnem verisimilitudinem mihi videtur esse, praesertim quum Herodotus ipse diserte neget. Nam ad Bacchiadas Labda pertinebat licet pedibus claudicaret et plebejus Aetion a Doribus putabatur, licet ipse ad Caeneum stirpem suam deduceret. Ipsi Dores ad suam potentiam subvertendam plurimum contulissent, sibi ipsi infesti atque inimici fuissent. Ne oraculum quidem ad hanc rem quadrat. Nam quomodo Pythia eum, qui a Bacchiadis connubio dignus habebatur et ita honorabatur, ut in eorum societatem ascisceretur, alloqui potest: *οὐ-  
υς σε τίει?*

Haec obstant narrationi, si ad Bacchiadas spectamus; sed ab altera parte eadem difficultates adsunt. Nam Aetion, ex illustrissima et regia Minyarum gente ortus, homo antiquioris nobilitatis, quam ipsi Bacchiadae, qui quum ejus proavi una cum Doribus Corinthum occupassent, sine dubio aegre ferebat, quod cum ceteris a republica arcebatur, qui secreto odio et occulta ira perfusus perioecorum modo ruri habitabat, sive a nobilate aut ipse aut majores eo relegati erant, quia propter auctoritatem periculosiores videbantur, sive sua sponte ex urbe recesserant, quia id malebant, quam quotidie arrogantiam dominorum experiri, injuris lacessi, ludibrio haberi: hunc virum puellam quandam ex inimicorum gente natam e corporis vitiis laborantem in matrimonium duxisse num credibile est? Omnia mehercule maluisset, quam donum ipsis adversariis ingratum tamquam escam objectam ab eis accipere. Videmus igitur veritatem in his non inesse. Jam si oraculum respicimus, hoc ipso res futurae accuratius praedicuntur, quam ut ante eventum vaticinatio facta esse potuerit. Nam licet sacerdotes Delphici eum statum rerum, qui tunc esset, mox perversum et commutatum iri praevidere ac praesentiri possent, hac tamen ratione id eventurum et Aetionis filium nondum partum eum fore, qui Bacchiadarum regnum

sublaturus esset, nesciebant. Praeterea hoc disconvenit, quod Aetionem Pythia affatur: *οὐαὶ σε τίει*, neque enim tam ignobilis tamque contemptus erat, ut nemo ejus rationem haberet, sed apud populum magna auctoritate ac gravitate gaudebat, ab nobilibus metuebatur. Ergo conspicuum est, etiam hanc cum oraculo fabulam commenticiam esse.

Una restat explicandi via, si quis Herodoto omnem fidem abrogare nolit. Etenim dici possit, Aetioni ut plebis duci aliquo modo successisse, invitis nobilibus connubium plebis extorquere, itaque ipsi unam ex Bacchiadis ducere contigisse; hoc quoque aliquis proposuerit, Aetionem eam clam per vim rapuisse. Nam per amicitiam ac concordiam eum hanc uxorem consecutum esse, nullo modo probabile est; claudam autem eam a propinquis despectam ideoque Aetioni datam esse, fictum ac falsum non esse non potest. Tum etiam causa cogitari potest, cur Bacchiadae filium ex his nuptiis ortum interficere studuerint: scilicet ob odium, quo in parentes flagraverint. Sed prius illud a toto rerum statu alienum est. Penes nobilitatem omnis potestas, omnia jura erant, contra populum reipublicae nullo modo particeps: unde et a quibus privilegii profecta et quibus auxiliis usa plebs hoc quod magni momenti fuit connubium expugnare potuerit? Oligarchia enim tum maxime florere et ad summam et potentiam et fastidium elata esse solet, quum matura est, quae per tyranni tamquam messoris cultrum ac falcem succidatur. Quod vero ad alterum attinet, Bacchiadae, severissimi iudices, raptorem cum rapta capite potius, opinor, damnassent, quam eorum filio insidias parassent. Itaque equidem nihil superesse video, nisi etiam hanc narrationem fabulae loco censere.

Sed unde nata est et quo consilio ficta? Profecta est ab hoc studio, quo homines fabularum componendarum studiosi agere solent, ut si quis homo novus ante ignotus subito ex obscuritate in lucem et claritudinem ascenderit, non solum ipsum ejusque originem variis prodigiis et miraculis exornent, sed etiam ejus matrem miseriis et aerumnis circumventam fuisse fingant. Quod saepius factum est. Quare primum Cypseli mater distorta crura habuisse dicebatur, ut describitur in Etymol. Magno v. βλαισός : βλαισός — παραλνικός — τὸν πόδας ἐπὶ τὸ ἔξω διεστραμμένος καὶ τῷ Α στοιχείῳ ζοικῶς διὰ ταῦτα καὶ Λάμβδα ἐκαλεῖτο ἢ γονὴ μὲν Ἡετίωνος, μήτηρ δὲ Κυπέλου τοῦ Κορινθίου τρωάννου. Lambda autem idem est quod Labda, quod nomen ei ideo datum esse fertur. Neque vero hoc sufficiebat, sed etiam sterilem eam fuisse addebatur quae causa facta esset, cur Aetion hoc alterum oraculum peteret. Ad Bacchiadas autem relata est propterea, ut certum aliqua ex parte Cypselus et dignus fortuna sua et talis fuisset videretur, qui tanta facinora perpetrare posset. Ad quae sal

tem aliquis sanguis nobilis ac paene regius et quae inde profisceretur generositas virtus praestantia opus esse videbatur. Videntur igitur matri Cypseli et sani pedes restituendi et Labdae nomen adimendum esse, neque verisimile est, eam ullo modo ad Bacchiadas pertinuisse. Quam rem exemplo, quod omni ex parte congruum est, possumus probare. Nam primum ut vidimus, Battus ipse non subraucus, sed ut ait Wesselingius ad Her. IV, 150. 'exili lingua et gracili sono' fuit et bona valetudine usus est. Sed etiam ejus mater, ut Cypseli, fabulorum studia experta est. Vixisse olim Axi, in oppido Cretico, regem nomine Etearchum, cui Phronima filia fuisset. Cui filiae alteram Etearchi uxorem insidias paravisse, tandem libidinis et impudicitiae apud patrem eam insimulasse. Eum his calumniis adductum esse, ut Themisonem hospitem Theraeum, jurejurando obstringeret, ut illam secum auferret et in mare praecipitaret. Hunc autem misericordia commotum in undas quidem eam injecisse, sed injectam eduxisse et Therae Polymnesto in matrimonium tradidisse. Hinc procreatum esse Battum. Haec narra tiuncula sane fabulosior est quam ut credatur. Sed gravissimum falsitatis testimonium apud Herodotum ipsum est. Qui quum de condita Cyrena agat, duas easque diversas narrationes sibi opponit. Altera est Cyrenensium, altera Theracorum. Jam memorabile est, quae ratio inter utrosque intercedat. Utrique enim quicquid ad suas res spectat, auxerunt et miraculis exornaverunt, quae autem ad alteros, simpliciter ac verisimiliter narraverunt. Itaque ut de priore oraculo, de quo utrique exponant (150 et 155) — nam utrique se duo accepisse tradunt — hic taceamus, quum de Cyrena condita agatur, apparet, ea quae Theraei tradunt Cyrenensium narrationi anteponenda esse. Ac revera Theraeorum narratio ubique ad veritatem prope accedit, praeterquam quod de Corobii fame ac miseria et Samiis (152) fabulantur; id enim ad Theraeos ipsos spectat et excogitatum ab eis est ut amicitiae quibus postea Theraei ac Samii utebantur (165) ut demonstrat Müller Orch. 336, explicarentur. Contra Cyrenenses hanc ipsam Corobii calamitatem ignorantes cetera omnia miraculis implent, quippe quibus curae fuerit, ut originis memoriam prodigiis distinguerent. Itaque quibus in rebus alteris fides tribuenda sit, ex alterorum narrationibus apparet. — Quod si haec ad illam fabulam adhibemus, quum Cyrenenses eam tradant, Theraei vero ignorent, ficticiam esse, dilucidissimum est. Nam quis Batti matrem melius cognoverit, quam Theraei? Sed horum nihil intererat, ut Batti originem celebrarent, contra Cyrenenses quam maxime huic studio operam dabant, itaque illam Phronimae malam fortunam finxerunt.

Orta autem fabella est ita, ut mater Batti primum ca-

lumniis et insidiis objecta fuisse diceretur. Cui rei etiam nomen debuit, est enim *φρονίμη* prudens ac provida, ut quae fraudes inimicorum feliciter fugerit. Deinde vitae discrimen ac necis periculum vix evitasse ferebatur; quapropter is, cuius probitate morti turpi erepta sit, *Θεμίωων*, i. e. 'Justus' vocatus est. Repis autem filia ob eandem causam, ob quam Labda ex Bacchiadis, dicebatur fuisse. Creta autem introducta est, quia tum, quum coloniam deduxerunt, novos colonos inde desumserunt. Hoc enim ex Theraeorum narratione, qui Corobium, hominem Cretensem, ex Itano, quod est oppidum in orientali litore situm, se conduxisse, ut viam monstraret, tradiderint, apparere videtur. Etiam postea, quum nova turba colonorum Cyrenam arcesseretur (IV, 161) cum Peloponnesis Cretenses potissimum eo se contulerunt. Et Itanum quidem cur Theraei introduxerint, facile apparet, hoc enim oppidum praetervecti sunt; sed Axum cur Cyrenenses, minus liquet. Situm enim erat hoc oppidum in interiore parte insulae procul a mari in vicinitate Eleuthernae, id quod inde, quod in ea regione oppidum quoddam ejusdem nominis hodie exstat, concluditur. Neque enim alii scriptores ejus mentionem faciunt praeter Stephanum vv. *Ἄξος* et *Ῥαξος* quod est *Ῥάξος*, qui addit: *διὰ τὸ καταγῆναι τὸν τόπον καὶ κρημνώδη ὑπάρχειν· καλοῦσι γὰρ τοὺς τοιοῦτους τόπους ἄξους, καθάπερ καὶ ἡμεῖς ἀγμούς.* De qua re consulas Hoeckium Creta I, 397. Axus igitur quum sub radicibus Idae montis et procul a mari sita esset, quomodo cum Theraeorum colonia conjungebatur? — Etearchi autem nomen de illo Ammoniorum rege, qui Nasamones ad fontes Nili indagandos misit, desumptum est Her. II, 32. Unde Cyrenae hanc fabulam in lucem prodiisse perspicitur. — Jam igitur Batti matrem nec peregrinam nec male audientem puellam fuisse, sed non minus quam patrem ad illustrissimam Euphemidarum gentem pertinuisse clarum est.

Labda igitur quum sterilis fuisse diceretur, Aetion de liberis quaerens hoc oraculum accepisse fertur:

*Ἠτίων, οὔτις σε τίει πολυτίον ἐόντα.*

*Λάβδα κύνει, τέξει δ' ὀλοοίτροχον· ἐν δὲ πεσεῖται  
ἀνδράσι μονάρχοισι, δικαιοῦσι δὲ Κύρινθον.*

Etiam hoc nonnullis verbis interpretandum est. Primus versus denuo ludum etymologicum praebet. Vocabulum enim *Ἠετίων* hoc loco, quasi ex *α* privativo et voce *τίειν* compositum esset usurpatum est; quamobrem poeta: *οὔτις σε τίει πολυτίον ἐόντα* pergit. Itaque ex uno nomine totus versus fluxit. Omnino quum in oraculis veris tum maxime in commenticiis saepissime idem vocabulum repititur vel paullo declinatum ad sensum contrarium trahitur. Quae res novo testimonio est, ut oracula falsa ex parvulis elementis atque initiis conglobata

et composita sint. Sic exstat Her. I, 47: *ἐψομένης ἐν χαλκῷ* — *ἢ χαλκὸς μὲν ὑπέστρωται, χαλκὸν δ' ἐπίεσται.* I, 65 duplicatur: *ὦ Λυκόοργε, I, 66:*

*Ἀρκαδίην μάλιστα; μέγα μάλιστα· οὐ τοι δώσω δώσω τοι Τεγέην.* I, 67:

*καὶ τύπος ἀντίτυπος καὶ πῆμ' ἐπὶ πῆματι κείται*

III, 58: *τότε δὲ φράδμονος ἀνδρὸς φράσσασθαι*

IV, 157: *μὴ ἐλθῶν ἐλθόντος, ἄγαν ἄγαμαι σοφίην σε.*

V, 92, 5: *αὐτὸς καὶ παῖδες, παιδῶν γε μὲν οὐκέτι παῖδες.*

V, 56: *Τληθι λέων ἄτλητα παθῶν τεληθῶτι θυμῷ.*

VI, 19: *repetitur πολλοῖσιν.* VI, 86, 3: *ὄρκω, εὐόρκος, ὄρκον, εὐόρκον, ὄμνηε.* VI, 98:

*κινήσω καὶ Ἀήλον ἀκίνητον περ' εὐῶσαν.*

VII, 148: *πεφυλαγμένος ἦσο, καὶ κεφαλὴν πεφυλάξω*

*κάρη δὲ τὸ σῶμα σαώσει.* VII, 220:

*οὐ γὰρ τὸν ταύρων σχήσει μένος· οὐδὲ λεόντων*

*ἀντιβίην· Ζηνὸς γὰρ ἔχει μένος· οὐδὲ ἔφημι*

*σχήσεσθαι VIII, 77:*

*χαλκὸς γὰρ χαλκῷ συμμιξεται.* Paus. IV, 12, 4 *repetitum est: λόχος VII, 25, 1:*

*ἰκετεῦσαι,*

*μηδ' ἰκέτας ἀδικεῖν· ἰκέται δ' ἱεροί τε καὶ ἄγνοί.*

VIII, 42, 6: *Ἀήους —*

*μοῦνοι δις νομάδες, μοῦνοι πάλιν ἀγριοδαῖται.*

*Ἀηὼ μὲν σέγ' ἔπαυσε νομῆς, Ἀηὼ δὲ νομῶν —*

IX, 14, 3 *μέλει et μέλετον X, 1, 4:*

*συμβαλέω θνητὸν τε καὶ ἀθάνατον μαχέσασθαι*

*νίκην δ' ἀμφοτέροις δώσω, θνητῷ δὲ νυ μᾶλλον.*

X, 12, 3:

*εἰμὶ δ' ἔγω γεγαυῖα μέσον θνητοῦ τε θεᾶς τε*

*νύμφης ἀθανάτης, πατρὸς δ' ἐκ σιτοφάγοιο*

*μητρούθεν Ἰδογενῆς, πατρὶς δὲ μοί ἐστιν ἐρυνθρῆ*

*Μάρπησος μητρὸς ἱερῆ, ποταμὸς τ' Αἰδωνεύς.*

X, 12, 10:

*Ζεὺς ἦν, Ζεὺς ἐστί, Ζεὺς ἔσσειται· ὦ μέγαλε Ζεῦ*

X, 24, 2:

*πατριδα δίζηαι· μητρὸς δὲ τοι, οὐ πατρὶς ἐστιν,*

*ἔστιν Ἴος νῆσος μητρὸς πατρὶς, et in Anth. II, 564:*

*μητροπόλις.*

VIII, 9, 4:

*οὐ τρίοδος καὶ τετραόδος καὶ πεντακέλευθος.*

Anth. II, 567: *ἀμείνονες, repetitur deinde:*

*ἔμεις δ' ὦ Μεγαρήες, οὐδὲ τρίτοι οὐδὲ τέταρτοι*

*οὐδὲ δωδεκαταῖοι· οὐτ' ἐν λόγῳ, οὐτ' ἐν ἀριθμῷ.*

denique 566:

*μη μέμφου μοίρην, μη θεοὺς μηδὲν, ξένε,*

*ῶρην δὲ μέμφου, ἦν πατὴρ ἔσπειρε σε.*

*πολύτιμος* autem est *ἄπαξ εἰρημένον*, propter antithesin excogitatum ut in primo stasimo Sophocleae Antigonaē verba *παντοπόρος* et *ὑψίπολις*, quae sunt *ἄπαξ εἰρημένα*, verbis *ἄπορος* et *ἄπολις* opposita sunt. Vocabulum autem, quod est *αἰτίειν* i. e. non honorare, Graecum sane est, ut legitur apud Theogn. 621:

*Πᾶς τις πλούσιον ἄνδρα τίει, αἰτίει δὲ πενιχρόν.*

etiam *ἄπιος* Hom. II. *Ξ*, 484 et Aesch. Agam. 73 invenitur. *δλοοίτροχον*. hujus verbi usitata forma est: *δλοοίτροχος* sive *δλοοίτροχος*, quae etiam hoc loco in codd. inest et adhuc edebatur. Sed cum novissimis editoribus *δλοοίτροχος* ex Eusebio, qui hoc oraculum afferens hanc formam exhibet et ex Homero II, N. 137 scribendum est. Quae videtur poetica fuisse. Alluditur autem hic, ut opinor, ad illum locum Homeri, qui est

*ἦρχε δ' ἄρ' Ἐκτώρ  
ἀντικρὺ μεμαῶς, δλοοίτροχος ὧς ἀπὸ πέτρης  
ὄντε κατὰ στεφάνης ποταμὸς χεμάρροος ὄση.*

Nam quum Cypselus Petrae habitaret, comparavit poeta ejus in Bacchiadas impetum cum lapide molari, qui a summo monte devolvitur. Pagus igitur Petra in montibus, quae ad meridiem tendunt, situs fuisse cogitandum est, quandoquidem ex hoc loco Cypselo descendendum fuisse, si Corinthum ire voluerit, apparet. Quare optimo jure Curt. Pelop. II, 597 Petram pagum in montibus Teneae situm fuisse proponit, quam conjecturam Steinmetzius p. 17 nescio quo jure superfluum dicit. Nam quidni etiam Aetionis nomen ex oraculis fluxisse putat?

*Ἄνδράσι μουνάρχοισι.* Sic optimo jure Bacchiadae appellantur, quia regum instar omne imperium omnemque administrationem sibi arrogaverant, ut supra vidimus. Inest autem superbiae eorum vituperatio quaedam. Novissimus autem istorum monarchorum, quem Cypselus adortus est, Hippoclidēs sive Patroclides fuit, de quo Nicol. fr. 58 haec dicit: *σύστησας (Κύψελος) ἔταιρικὸν κτείνει βασιλείοντα Πατροκλείδην, παράνομον ὄντα καὶ ἐπαχθῆ*, in initio autem haec: *κτείνας τὸν τελευταῖον Ἰπποκλείδην*. Utrum verum nomen sit nescio, sed alter locus ex altero corrigendus erit. Ceterum qua ratione ea, quae hoc et superiore oraculo praedicuntur, cum eis, quae postea facta sunt, consentiant, infra exponemus. In universum hoc oraculum inimicitiae contra Bacchiadas plenum, Cypseli vero in gratiam compositum esse perspicitur. Sed hoc novum signum falsitatis est. Etenim ob id ipsum priori oraculo repugnat et quodammodo contrarium est, quo Bacchiadae de futuris periculis per benevolentiam dei certiores facti sunt. Neque ex more Apollinis est, ad voluntatem interrogantium consilia ac vaticinia accommodare. — Sed accedit aliud quid, cur hoc alterum quidem

oraculum verum esse nequeat. Namque a Delphicorum sacerdotum studiis atque consiliis quam maxime discrepat et abhorret. Nam cujus rei in priore oraculo fingendo justa ratio habita est: quod Apollo semper aristocratiae partes sequatur, haec in hoc subdendo prorsus neglecta est. Dicitur enim Apollo tyrannis favere! Sed, ut ita dicam, neminem majori odio quam tyrannos habebat, idque his de causis Delphicum sacerdotium. cum Doribus arctissime cohaerebat. Nam si a Doribus non institutum est, certe omnem suam auctoritatem et gravitatem eis debebat eisdemque patronis ac tutoribus per longum temporis spatium utebatur. Quare Dorica sentiendi ratio Delphis vigeat. Sed etiam ex ipsorum sacerdotum moribus ac conditione haec ratio nascebatur. Sacerdotium enim singulis familiis nobiles proprium fuit atque hereditarium et a patribus in filios deferebatur. Erant autem hae gentes solae, quae rituum sacrorum usus ac jura divina scientia atque cognitione tenebant. Neque enim ea in tabulis aut titulis inscripta populi aspectui patebant, sed ut *ἀρχαία νόμιμα* sermone tradebantur et a patribus filiorum memoriae mandabantur. Et quum omnes res humanae perturbationibus moverentur atque commutarentur, jus divinum non nisi gentibus sacerdotum notum intactum atque integrum constabat. Itaque nimirum ei, qui illis sacerdotiis praeerant, quum ipsi ex familiis nobiles et illustribus orti essent, id agebant, ut patrios mores ac virtutes, pristina studia, jura, sentiendi rationes antiquitus traditas reservarent et retinerent. Neque solum apud se ipsos, sed in omni Graecia, cujus gubernaculum ex umbilico terrae per aliquot saecula gerebant, hoc studium et hanc cogitationem excitare studebant et tuebantur et a partibus eorum stabant, qui hoc modo sentiebant. Quibus de causis inter diversas reipublicae formas eas tantum probaverint, quae hoc modo comparatae fuerint, necesse est: regnum et aristocratiam. Nam utraque ratione imperium ac dominatio penes eos erat, qui illustri loco nati divitiis et eruditione atque humanitate insignes justis ac legitimi civitatum rectores erant. Contra democratiam, in qua ingeniosissimo atque audacissimo cuique ad summos honores ac magistratus aditus patebat, et vulgus credulum ac mobile ipsum reipublicam moderabatur, oderant atque aversabantur. Similiter a tyrannide abhorrebant, quae in eo posita erat, ut homines novi humili plerumque loco oriundi plebis subjectae auxilium adepti nobilitatis potentiam perfringerent ac nullo jure imperium arriperent, quod satellitum corona sustinerentur. Saepe quidem factum est, ut Graecorum tyranni populi commodo sane prospicerent deque eo optime mererentur; sed semper eos illegitime atque iniuste dominatum nactus esse tenendum est. In qua re nimirum administri Apollinis quam

maxime offendebant, itaque una cum Lacedaemoniis jam sua sponte idem agentibus elaborabant, ut tyrannos expellerent. Sic Lacedaemonios iterum iterumque Delphica Pythia incitavit, ut Pisistratidas Athenis ejicerent. Quam ad rem constat quidem (Her. V, 63) eam Clisthenis Atheniensis auro inductam esse, sed vera causa non suberat alia, quam tyrannorum penitus ei insitum odium. Egregium autem exemplum Clisthenes Sicyonius est. Qui quum initio tyrannidis bellum sacrum gessisset, quo Crisaeos sacrilegos ultus est eorumque urbem funditus evertit, itaque Delphis non solum pristinum sed novum et paene incognitum splendorem et honorem restituisset; quum manubiarum decumae ut Apollini dedicarentur decrevisset, ludos Pythios condidisset, in quibus ipse quadriga victoriam reportavit: ad opprimendam Doricam nobilitatem consilium cepit, ut Adrasti religionem tolleret ejusque hostem Melanippum Thebanum induceret Her. V, 67. Quum autem, postquam tam immortaliter de Apolline meritus fuisset, Pythiae veniam se impetraturum speraret, eam consuluit. Sed quid respondit? Adrastum fuisse regem legitimum, Clisthenem vero *λευσιῆρα* esse, quod Hesychius interpretatur: *φονέα λίθοις ἀνακουῦντια*, quibus verbis Pythia cives ab eo non honoribus et beneficiis regum modo affectos, sed omni dignitate et nobilitate spoliatos esse indicat; (in Doricas enim tribus ignominiam contulerat). — Nam verisimillimum est, ut hoc uno verbo tangam, ante expeditionem sacram illas novationes eum non fecisse. Clisthenes enim XXXI annos dominatus est Nicol. Dam. 61. Quum autem senex nuptias Agaristae et Megaclis institueret Her. VI, 126 — 131, Megacles autem Ol. 57 vinceret Schol. Pyth. VII, eorum autem filius Clisthenes Atheniensis Ol. 69 et 68 inclaresceret, ante Ol. 53 aut 54 Agarista Megacli nubere vix potuit. Unde sequitur, ut ante Ol. 46 Clisthenes tyrannus non fuerit. Quum vero bellum sacrum, per X annos ductum Athen. 560 C, a Solone hieromnemone Ol. 46, 1 concitatum sit, statim post initium imperii Clisthenem adversus Crisam exercitum duxisse, finito autem bello Ol. 48, 3 et stabilita dominatione illas res novasse necesse est. Ergo Clisthenes Ol. 46, 1 — Ol. 55, 4 regnavit, Andreas igitur Orthagoridarum tyrannidem C annos durantem Aristot. polit. VIII, pag. 229 ed. Becker sec. Ol. 29 instituit; id quoque apparet, Leocedam Argivum, unum ex procis Agaristae, Phidonis esse filium non potuisse, etiamsi hunc Ol. 28 floruisse statuamus. — Hactenus de Clisthene, de Procle Epidaurio similis narratio est apud Plut. de Pyth. oraculis 19. Is enim quum alia permulta injusta atque atrocissima facinora perpetravit, tum Timarchum Atheniensem, divitem quem amico hospitio acceperat, interfici et storea involutum in mare dejici jussit.

Postea rebus ipsius conturbatis Delphos misit, qui de exilio et migratione consularent. Respondit Pythia, ut eodem se conferret, quo stoream deponi jussisset, aut ubi cervi cornua abjicerent. Solent enim abjecta in terram defodere. — Deinde Pythia Sicyoniacorum tyrannorum dominatum cum verberibus flagellae comparat Diod. VIII, 32. — Postremo Arcesilaum II, regem Cyrenae, calamitatibus vexatum auxilium ab Apolline petiisse idem VIII, 39 narrat. Hunc vero edidisse, hanc poenam divinitus missam exsolvendam ei esse, quod ipse et majores tyrannorum modo imperio functi essent. Nam et publicas pecunias furatos esse et deorum observantiam neglexisse.

Similiter etiam democraticis civitatibus, ut Atheniensibus, infensus Apollo et inimicus est. Itaque quum bellum inter Aeginetas et Athenienses incensum esset Ol. 68, Atheniensium legati oraculum Delphicum acceperunt, quo praecipitum est, ut XXX annos a bellando se abstinerent et illorum praedationes tolerarent; quo tempore peracto ubi bellum incepissent, consecuturos esse quae vellent Her. V, 89. Quae vero deinde adjecta sunt, sine dubio postea supposita sunt. — Etiam hoc oraculo, quod Her. V, 83 exstat, quo Epidaurii dearum Cerealium simulacra ex ligno mansuetae oleae exstruere jubentur, ad bellum Atheniensium incitati atque inflammati esse a Pythia mihi videntur. Nam quamquam oleastri saepe crescunt in Graecia, oleae tamen nisi in Attica adeo perrarae antiquiore saltem tempore erant, ut nemo non, si de oleis audiret, de Attica cogitaret. Erant autem hae duae civitates hostiles inter se, quarum altera Ionica, altera Dorica utraque autem rebus maritimis et mercaturae operam dabat. In quo bello Epidaurios victos esse indicat id quod Herodotus deinde exponit, eis ab Atheniensibus hostiarum tributum, quod quotannis Minervae Poliadi mitterent, impositum esse. Hoc enim tributum non amicitiae sed deditiois et ignominiae signum esse ostendit O. Müller Aegin. 70, qui affert Her. V, 72; ob eandem causam eidem Epidaurii Argivorum Pythaeo Apollini hostias immolare tum quum illis obnoxii erant coacti sunt Thucyd. V, 93. Eadem contra Athenienses Pythiae inimicitia praeter alias causa fuit, cur Pythia Xerxe adversus Graeciam appropinquante nihil nisi aerumnas et miserias Atheniensibus divinaret, desperantiamque ac fugam suaderet Her. VII, 140, donec opera Timonis Themistoclis pecuniis corrupti saltem unam salutis viam indicavit: naves ascendendas esse. Quamquam enim omnino in bello Medico ignavos et trepidos se sacerdotes praestiterunt, ea tamen quae Lacedaemoniis Argivis Cretensibus ediderunt Her. VII, 220; 148; 169 hujus Atheniensium oraculi plane dissimilia sunt.

His exemplis, tyrannos ut democratias minime gratas

acceptasque Apollini fuisse, satis demonstratum est. Secundum igitum Cypseli oraculum ob hanc quoque causam verum esse non posse satis apparet.

Sed quomodo fieri potuit, ut tot oracula post eventum fingerentur atque subderentur et ut hominibus, qui talia curabant, res tam prospere succederet? Eratne Delphis nulla oraculorum custodia? Haec est Schoellii p. 57 sententia, qui tamen id potissimum egit, ut Herodotum libros Delphicos non inspexisse demonstraret, quod concedendum est. Si enim ex scriptis libris oracula quae affert hausisset, omnia epica forma composita tradidisset. Sed tum tantum metro inclusa affert, si in ipsorum verborum ac versuum compositione facetiae quaedam insunt vel sales vel miri aliquid. Quae ex populi sermonibus magis quam ex thesauro Delphico desummissa videtur. Sed nihilosecius tabulae quae oraculorum editorum seriem continebant, antiquitus Delphis reservabantur, ad quas tamen nulli ex profanorum multitudine aditus patebat. Schoellius autem quod quatuor oracula antiquissimae aetatis contra affert (58) qua Graeci scribere nondum caluissent, hoc non videtur jure facere. Nam duo oracula Her. IV, 149 et VI, 52 falsa sunt, de ceteris duobus VI, 139, VII, 170 certe dubitatur: sed ut genuina fuerint, aut omnino in tabulis defuerunt aut postquam usus literarum percrebuit recepta sunt. — Primum huc pertinet Phot. v. *ζύγαστρον. κιβωτός, κυρίως δὲ ἡ ζυλίγη σορός. παρὰ Δελφοῖς δὲ ζύγαστρον καλεῖται τὸ γραμματιοφυλάκιον.* — Deinde quod Plut. Lys. 26 narrat, magni momenti est ad hanc quaestionem. Lysander enim, Lacedaemoniorum dux, quum rex fieri vellet, per administratos, quos Delphis sibi recuperavit, Lacedaemonem nuntiari jussit, *ὡς ἐν γράμμασιν ἀπορρήτοις ὑπὸ τῶν ἰσρέων φυλάττειντο παμπάλαιοι δὴ τινες χρησμοί, καὶ λαβεῖν οὐκ ἔξεσται τοῦτους οὐδ' ἐντυχεῖν θεμιτόν*, donec filius quidam Apollinis Delphos veniret, qui *τὰς δέλιους, ἐν αἷς ἦσαν οἱ χρησμοί*, peteret. Etenim Silenum quendam, juvenem Ponticum, quem Apollinis filium esse divulgavit, Delphos mittere in animo habebat; nam convenerat ei cum sacerdotibus, ut primo dubitarent, postea vero libros Sileno commonstrarent. Hunc autem quum alia oracula tum illud Lacedaemonem apportare volebat, quo Lacedaemonii dignissimum et optimum civium regem creare juberentur. Sed priusquam fabula acta est, unus ex histrionibus prodidit. Haec omnia vera sunt et videntur sacerdotes auro Lysandri inducti esse ut arcana volumina proderent et oraculum illud conficerent. — Tum locus est Euripidis in Plisthene, quem conservavit Tzetz. in Cramer. anecd. III, 373:

εἰδὼν γὰρ, εἰσὶ διφθέραι μελαγγραφεῖς  
πολλῶν γέμουσαι Λοξίου κηρυγμάτων.

ad quem locum si Herodoti verba referimus V, 58: καὶ τὰς βύβλους διφθέρας καλέουσι ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ οἱ Ἴωνες, οὗτοι κοῖτὴ ἐν σπᾶνι βύβλων ἐχρῶντο διφθέρησι αἰγέησί τε καὶ οἰέησι· ἔτι δὲ καὶ τὸ κατ' ἐμὲ πολλοὶ τῶν βαυβάρων ἐς τοιαύτας διφθέρας γράφουσι, satis vetustos hos libros fuisse videmus. — Nec solum Delphis, sed etiam alibi oracula literis mandabantur, velut Athenis, ubi in acropoli Pisistratidae oraculorum libros reservandos curaverunt, Her. V, 90 et ab areopagitis ἀπόδῶνται διαθήκαι constodiebantur Dinarch. adv. Dem. §. 9, et Lacedaemone, ut apparet ex gravissimo Plutarchi loco adv. Colot. 17, quo dicuntur Λακεδαιμόνιοι τὸν περὶ Ἀνκούργου χρησμὸν (Her. I, 65) ἐν ταῖς παλαιόταταις ἀναγραφαῖς ἔχοντες. Adde denique oraculorum libros Musaei Bacidis aliorum, et quod sexcenties apud Herodotum et Pausaniam legitur: ἦν γεγραμμένον ἐν τῷ χρησμῷ sive ἀνεγίνωσκε χρησμὸν, velut Her. VI, 98 Plut. Agesil. 3. Sic videmus, et Delphis et in singulis urbibus, et eorum quos Graeci χρησμολόγους appellabant corpora oraculorum exstitisse. Hujus rei testimonium id quoque videtur, quod oracula quae apud scriptores veteres inveniuntur saepe non integra, sed fragmenta tantum aut sunt aut videntur esse. Saepe enim cum particulis ἀλλὰ, δὲ γὰρ, καὶ incipiunt; alia propterea pro fragmentis habenda sunt, quod appellatio deest, quae praemitti solebat. Cujus rei duplex causa est. Nam primum quoties oracula in libros recepta sunt, cum aliis ita conjungebantur et copulabantur, ut quasi unum carmen efficerent et continua serie se exciperent. Aut primus prioresve versus debebantur, quia minoris ponderis videbantur esse, ut melius connecti possent. Congerebantur autem hoc modo omnia ea, quae ad idem argumentum aut tempus spectabant, velut ad bella Persica. Si igitur unum oraculum separatim recitabatur, fragmentum videbatur esse. Cujus rei dilucidum vestigium apud ipsum Herodotum invenitur. Qui duo illa oracula, alterum Milesiorum VI, 17, alterum Argivorum VI, 77 una a Pythia Argivis edita esse dicit, absentibus Milesiis. Tum constructio verborum haec est: ἀλλ' ὅταν — τότε θῆσει, καὶ τότε δὴ, Μίλητις, nam illi duo versus, qui ad Argivorum oraculum adjecti sunt, postea accesserunt, ut supra exposuimus. Neque vero Pythiae est, nullo rogante praecepta et consilia divina absentibus temere edere; praeterea et duo populi et eorum oracula aliena inter se erant, nam alterum spectat ad bellum, quod Cleomenes contra Argos gessit Ol. 72 2, alterum ad Miletum a Persis expugnatam Ol. 71, 3. Sed haec duo oracula quia ad idem tempus pertinuissent, in libris conjuncta esse, quum autem propterea initium oraculi Milesiorum deletum es-

set, in unum coaluisse cogitanda sunt. — Saepe autem revera pars tantum oraculi alicujus et ea quidem, quae proprie ad id, quod gestum est, spectabat, recitabatur. Tum vere de fragmentis cogitandum est, quorum tamen initia ac fines in libris non deerant. Cujus rei exempla sunt Her. I, 62, VIII, 96, quo loco Herodotus ipse diserte addit: *ἀλλὰ τε λέγων καὶ τάδε*. — In universum autem oraculorum mutilorum haec exempla affero: Her. VII, 220, IX, 43, Paus. VIII, 7, 8, VIII, 9, 4, X, 9, 11, X, 15, 3, VI, 11, 8. Ergo quod multa oracula non integra et absoluta inveniantur, hinc in voluminibus ea congregata esse apparet. — Altera causa, nam duas esse diximus, haec est, quod quum initium oraculi alicujus in oblivionem venisset, pars tantum servata est. Cujus rei exempla sunt ea oracula, quae vocibus *ἀλλ' ὅταν* sive *ἀλλ' ὁπόταν* incipiunt, quorum initia minus necessaria videbantur. Deinde Her. IV, 158 mutilum exstat oraculum. Cujus non solum principium, in quo quid eis eventurum esset, qui in Libyam proficiscerentur, descriptum erat, interiit, verum etiam inter primum et secundum versum lacuna statuenda erit, quia *ὑστερον ἐλθεῖν γῆς ἀναδαιομένης* Graecum non est. Ne ultimum quidem versum, sicut nunc est, integrum esse Doricae dialecti vestigia probant. Alia exempla sunt Paus. II, 33, 2 et Her. I, 47, cum quo conferendus est Pind. Pyth. IX, 45. De alio quod est Her. I, 174 vide Wolffium in edit. Porphyrii p. 68 sqq., qui omnino de oraculis optime meruit. Sed haec novissima minus huc pertinent.

Hactenus de oraculorum libris et tabulis; praefuerunt autem oraculis et divinationi varia genera sacerdotum vatum aliorum hominum religiosorum. Nam primum Delphis *προφήτης* sive duo *προφῆται*, sed illud verisimilius est, et quinque *ἄσσοι* ei erant, quibus vaticinatio curae esset, de quibus vide Herm. Antiq. sacr. Gr. §. 40, 13. Cum quibus quatuor Lacedaemoniorum *Πύθιοι*, quorum erat responsa dei Delphis petere, conferendi sunt, quos ita honoratos esse, ut cum regibus publice epularentur, Her. VI, 57 et Xenoph. resp. Lac. 15 tradiderunt. Simili loco tres Atheniensium *ἔξηγηταί*, de quibus Petersenius in Philologo 1859 p. 155 accuratissime egit, censendi sunt. Ex cujus disputatione si ea excerpimus, quae huc spectant, breviter hoc statuendum est. Exegetas Atheniensium ex Eumolpidis Cerycibus aliis gentibus sacerdotalibus a Pythia creatos esse; quum autem in universum juri sacro praepositi essent, quod interpretarentur et administrarent, etiam oraculis et omni vaticinationi praefuisse, et cum Delphis arcte cohaesisse. Neque vero ipsos profectos esse, ut deum consulerent, sed hoc munere Pythiastas et Theoros functos esse. Exegetas autem legatos mittendos curasse, oracula interpretatos esse et conservasse.

Cura igitur oraculorum Athenis inter Exegetas, Pythiastas, Theoros divisa erat. Idem hoc munus Exegetarum urbibus Graecis commune fuisse demonstravit et Exegetas, qui Telmessi Olympiae Sicyone Argis Megaris Epidauri Oropi in Messenia exstitisse apud Herodotum et Pausaniam et in titulis dicuntur, attulit. — Exegetae autem velut Athenis Pythiastis et Theoris, sic etiam in aliis civitatibus sine dubio eis qui *θεωροί* et *θεοπρόποι* appellabantur, praefecti fuerunt. Hi autem Delphos ire et dei responsa referre solebant. Quos multis locis collegia effecisse et magistratum instar fuisse ut Aeginae, Mantinea, Troezenae, Thasi, in Messenia Od. Müller Dor. II, 18 docet; ad quas urbes adde Cycicum ex Strabone, Cnossus ex Paus. I, 34, 3, alias, in universum cf. Herm. Antiq. sacr. §. 40, 16 et 31, 16. His omnibus et Delphicis potissimum sacerdotibus poetae serviebant. Hoc enim scriptum est apud Plut. Pyth. or. 25: quod pius Theon concedere dubitat: *πολλῶν δ' ἦν ἀκούειν, ὅτι ποιητικοὶ ἄνδρες ἐκδεχόμενοι τὰς φωνὰς καὶ ὑπολαμβάνοντες εἰ καὶ θηναὶ περὶ τὸν χρηστήριον, ἐπη καὶ μέγιστα καὶ ἄνθρωποις οἶον ἀγγεῖα τοῖς χρησμοῖς ἐκ τοῦ προσηχόντος περιπλέκοντες*, et apud Strab. *ἐντείνειν δὲ ταῦτα εἰς μέτρον ποιητῆς ἄνδρος ὑπονοοῦντες τῷ ἱερῷ*. Etiam Panyasin talibus studiis operam dedisse Schoellius exposuit.

Ad hos omnes varia multitudo aliorum hominum, qui cum sacerdotibus arcte conjuncti erant et vaticinationi operam dabant, accedit. Ad quos pertinebant *χρησμολόγοι, μάντιες, Σίβυλλαι*. Qui quantopere antiquitus celebrati fuerint, ostendit multitudo vatum antiqui et fabulosi aevi Calchantis, Cassandrae, Tiresiae, Mantus, Amphiarai, Melampodis, Bacidis, Musaei, Jami, Laii, de quo vide Herod. V, 43, ubi Valckenarius *Ίάμον* aut *Βάκιδος*, anonymus apud Gaisford. *παλαιῶν*, Schneidew. in Philol. X, 357 *Λάσον* nescio an jure correxerunt. Nam licet quomodo Laius Labdacida cum Doribus aut Sicilia cohaereat nesciamus, deque ejus vaticinationibus alibi sermo non fiat, ignorantia tamen potius nobis profitenda quam locus tentandus videtur. *Χρησμολόγους* autem Schoellius 41 Anticharem, de quo consulas Müll. Orch. 139, Onomacritum, Lysistratum, Amphilytum ex Herodoto affert, quibus adde Hieroclem, Diopitham, Jophontem Cnosium Wolff p. 44; *Μάντιες* Wachsmuth. Ant. gr. II, 594: Jamidas, Clytiadas, Telliadas, Acarnanum vates, Lamponem, Enolmum, Eucloum, Lycum, Galeos, Crontidas, Eurycleis enumerat, quibus adde Hieroclem Wolff 44; *Σιβύλλας* idem Herophilam, Démonoam. De quibus omnibus ei homines docti, quos attuli, accuratius egerunt; nos quandoquidem discrimina, quae inter singulos intercedant, explanare nostrum non est, mis-

sos facimus. Hoc enim tangere volebamus, hos omnes divinationi et oraculis operam dedisse.

Jam ad ad conclusionem properemus. Quoniam igitur arcani libri oraculorum exstabant, facillime fieri poterat, ut Delphici sacerdotes, quibus poetae ad fingendum praesto erant, singula oracula in tabulas inculcarent, per ministros autem et exegetas, cum quibus conjuncti erant ac conspirabant, in singulis oppidis divulgarent. At plerumque tum commenticias vaticinationes supponere audebant, quum res aliqua temporum decursu in oblivionis obscuritatem devenerat, aut omnino hominibus non ita nota erat. Sed vel majoris audaciae testimonia adsunt, velut egregium exemplum apud Her. IV, 163 ubi hoc oraculum est: IV reges nominum Batti et IV reges nomine Arcesilai Cyrenae regnum obtinebunt, plures ne contentur quidem. Nam post octavi regis mortem democratia constituta est, Heracl. Pont. p. 10 Schneidew., quam Aristot. annuit Pol. p. 184, Battus autem V, quum regnum recuperare studeret, pugna repressus decessit. Quae quum nec C annis nec X annis ante praevideri potuerint, ante Ol. 87, 2 autem facta non sint, oraculum quoque vetustius esse non potest. Ac tamen jam apud Herodotum invenitur, qui Ol. 89, 2 mortuus est. Intra hos igitur VIII annos oraculum, quod scriptor non ut reliquas Cyrensiarum res Cyrenae audivit, fictum, Thurios allatum et ab Herodoto in libros suos receptum est. Etenim Herodotum jam ante Ol. 82, 4 quum cetera itinera tum Cyrenaicum suscepisse, Steinius in praefatione edit. p. 15 docuit, Ol. 84 autem Thurios se contulisse ibique in Musis conscribendis ad finem vitae versatum esse constat; complures autem operis locos non ante initium belli Peloponnesiaci compositos esse, Od. Müller demonstravit H. Lit. gr. I, 486. Ergo sacerdotes Delphici non expectabant, dum memoria hujus facti sensim sensimque exstingueretur, sed extemplo post eventum falsum oraculum supposuerunt. Sed facile erat mentiri, hoc oraculum in libris Delphicis scriptum exstare, unde Apollinem et praevidisse et praedixisse appareret, Cyrenenses vero si nescirent oblitos esse. Jam rogati quale esset, exhibuerunt.

Sed ne veteres quidem ipsi fraudes Delphicas ignoravere. Nam primum ex Herod. ipso VII, 6 Onomacritum Atheniensem a Laso Hermioneo fraudis et interpolationis oraculorum coargutum et ab Hipparcho in exilium missum esse constat. De quo Gerhardius in libro suo: Orpheus et Orphici Berol. 1861 p. 75 disputavit. Alii hujus generis afferuntur a Plut. Pyth. or. 25: *Ὀνομάκριτοι δ' ἐκεῖνοι καὶ Προδόται καὶ Κινέσωνες ὄσπην αἰτίαν ἠνέγκαντο τῶν χρησμῶν, ὡς τραγωδίαν αὐτοῖς καὶ ὄγκον οὐδὲν δεομένοις προσθέντες εἰώ λέγειν. Πλεῖστης μὲντοι ποιητικῆν ἐνέπλησεν ἀδοξίας τὸ ἀγυρικὸν καὶ*

ἀγοραῖον καὶ περὶ τὰ μητροῦα καὶ σεράπεια βωμολοχοῦν καὶ πλανώμενον γένος, οἱ μὲν αὐτόθεν οἱ δὲ κατὰ κληῖρον ἐκ τῶν γραμματίων χρησμοὺς περαίνοντες οἰκέταις καὶ γυναίκοις ὑπὸ τῶν μέτρων ἀγομένοις μάλιστα καὶ τοῦ ποιητικοῦ τῶν ὀνομάτων. Jam Theognidis tempore oracula interpolari usitatum erat, qui Cynnum hoc modo adhortatur: 805:

Τύρνον καὶ στάθμης καὶ γνώμονος ἄνδρα θεωρὸν  
εὐθύτερον χρῆμεν, Κύρνε, φυλασσέμεναι,  
ὃ τινι κεν Πυθῶνι θεοῦ χρήσασ' ἴερεῖα  
ὄμφην σημήνη πίονος ἐξ ἀδύτου.  
οὔτε τι γὰρ προσθεῖς οὐδὲν ἔ' ἔα φάρμακον εὐροῖς,  
οὔτ' ἀφελὼν πρὸς θεῶν ἀμπλακίην προφύγεις.

Delphici ipsi sacerdotes, quomodo a Lysandro adducerentur, ut oracula in libros insererent, supra vidimus. Etiam Jophontem Cnossium vaticinia finxisse Paus. I, 34, 2 ex voce φάμενος apparere mihi videtur, etsi Wolff p. 44 contra Prellerum negat. Idem fraudulentum oraculi Bacidis praestigiatorem ex libro recitantem ex Aristoph. Av. 960—990 affert, qui locus ad totum hanc quaestionem magni momenti est. Hoc denique commemorari potest, quod Herod I. 51 de Croesi donariis agens scripsit; nam quum vas aureum, quod Croesus dedicasset, non ipsius auctoris, sed Lacedaemoniorum nomen gerere, quasi hi donassent, narraret, haec addidit: ἐπέγραψε δὲ τῶν τις Δελφῶν Λακεδαιμονίοισι βουλούμενος χαρίζεσθαι. Itaque haec quoque Delphica fraus est.

Sic ne Graecis quidem ipsis eos, qui oraculis fingendis ac subdendis operam darent, ignotos fuisse apparet. Sed cur homines religiosi mendacii studebant et toties se suamque integritatem ac probitatem in periculum vocabant? Nam semper metuendum erat, ne in flagranti deprehenderentur. Tribus puto causis commoti. Nam primum hoc praeclarum ac bonum consilium habebant, ut popularibus ostenderent, quanta benignitate ac clementia numina res humanas curarent et gubernarent, hominumque saluti et felicitati prospicerent. Nam illi quo magis hoc sibi persuadebant, eo majorem divinae sapientiae ac benevolentiae fidem habebant, eo devotiores venerabantur deos atque adorabant, eo honestiore atque integriore vivendi ratione utebantur. Nec dubium esse potest, quin sacerdotes ipsi certo antiquiore tempore omnium pientissimi fuerint et a deo se prae ceteris singulari clementia dignos habitos esse existimaverint. Deinde suae auctoritati hoc modo consulebant. Nam quo major vaticinationi fides tribuebatur, eo firmior atque honoratior erat ipsorum auctoritas. Qua in re ideo summis viribus elaborabant, ut in omnibus quae ad religionem, rem publicam, mercaturam pertinebant, principatum illum, quem majores olim propter humanitatem et eruditionem assecuti erant, obtinere

et ex umbilico terrae res Graecorum dirigere pergerent. Ob eam rem iterum iterumque oracula, ex quibus Apollinis ipsorumque sapientia et divinatio eluceret, praesto esse debebant. Postremo in ea re naturae indolique Graecorum indulgebant. Quae gens quum semper curiosa et prodigiorum novarumque rerum studiosa esset, omnes res magnas quotquot fiebant, praedictas habere volebat. Cui rei quum omnia cetera tum maxime ea oracula, quae aenigmatibus similia erant et ambiguitatem quandam continebant apta erant. Jam enim sacerdotes, si res aliter eveniebat, deum quidem verum divinantem homines praemonere eorumque inceptis dissuadere voluisse, hos vero cupiditate et libidine inductos dei verba per superbiam atque errorem non intellexisse sed in suum commodum explicare ausos esse, itaque justam poenam solvisse dictitabant. Tales sermones curiosissimum et religiosissimum quemque maxime delectabant jamque nemo fuit, quin Apollinis sapientiam admiraretur. — Accedit studium poeticum omnibus Graecis penitus insitum et innatum; neque enim in eis quae nota ac dilucida erant acquiescere, sed unam quamque rem comminiscendo augere et amplificare solebant. Quapropter Juvenalis: , et quicquid Graecia mendax audet in historia.' Cui studio credulitas eorum, quae miracula diligens nihil in suspicionem vocabat et a dubitando abhorrebat, optime convenit. Sed etiam severi et graves viri oraculis plenam tribuebant fidem. Nam ante Euripidis et sophistarum aetatem nemo fere de eorum veritate dubitabat.

Hae causae mihi fuisse videntur, cur oracula fingerentur. Neque vero incaute et temere agebant sacerdotes vatesque. Neque enim inconsiderate aut ut libebat falsas vaticinationes divulgabant, sed cum aliis iisque similibus eas connectebant et conjungebant. Quod est cautae et providae calliditatis. Itaque aut si quis unum oraculum vere acceperat, alterum adjiciebant, aut si quis dona pretiosa Delphos dedicarat vel thesaurum extruxerat, oracula et fabulas excogitabant, quas eis quibus munera monstrabant, narrarent. Auctorem enim istorum munerum ideo quod Apollo eum periculo cuidam eripisset aut beneficio eum affecisset aut veritatem vaticinatus esset, haec dona misisse dicebant, ut gratum se deo ac pium praestaret. Aut si quis in miseriam inciderat, qui Apollinem liberaliter et munifice coluerat, habere eos oportebat, quo deum ac se excusarent. Jam frustra hunc hominem ab Apolline monitum fuisse fingeant. Utcumque res expeditur, semper hoc tenendum est, eos, quibus oracula edita esse fingeantur, cum Delphis aliquo modo rem habuisse. Sic Croesi oraculum Her. I, 47 profectum est a muneribus, quae ille Delphos misit, aliud ejusdem I, 55 ad-

junctum est priori oraculo I, 54, Lycurgi oraculum I, 65 inde natum est, quod a Pythia leges sancitae sunt. Batti oraculum IV, 150 praemissum est posteriori 151, similiter id quod 155 ei, quod 156 exstat; huic deinde adjunctum aliud 157; tribus denique Batti I, Batti II, 159 Batti III, 161, novissimum Arcesilai III, 163. Siphniorum oraculum III, 57 profectum est a thesauro; qua in re Herodoti narratio eis, quae Paus. X, 11, 2 tradit completur. Similia possunt multa colligi. Contra Epidauriorum oraculum V, 82 satis mirabile verum existimandum est, quia nihil adest, unde Delphis subditum esse explicetur.

Quodsi haec quae exposuimus ad Cypselum adhibemus, haec dicenda videntur.

Primum tales exegetae et theori sine dubio etiam Corinthi erant, etsi, excepto Polyaeo V, 31, nusquam commemorantur. Hi homines, qui cum Delphicis vatibus conjunctissimi erant, una cum eis haec duo oracula tum quum Cypselidarum tyrannis nondum conciderat finxere, propterea, ut tyrannorum potentissimorum gratiam ac favorem sibi compararent, popularibus autem non sine dei auxilio tyrannum divitiis et opibus valentem ex obscuritate ad tantam claritudinem ascendisse ostenderent. Connexa autem haec duo oracula cum eo sunt, quod Cypselo vere editum esse infra explanabimus, profecta autem ex donariis, quibus deos tyrannus honoravit. Nam primum thesaurum Delphis aedificavit Her. I, 13 Plut. sept. sap. conv. 21 Pyth. or. 13, Paus. X, 13, 6, in quo palma aenea surrexit, Plut. quaest. conv. VIII, 4, 4. Deinde Jovi Olympico caelatum aureum signum dedicavit Strabo 353. 387 Pausan. V, 2, 3, Plut. Pyth. or. 13, Photius et Suidas *Κνυσελιδῶν ἀναθήματα*, Theophrastus apud Photium, Plato Phaedr. 236 B cum schol. p. 57 Ruhnk. apud Heindorf ad h. l., Arist. pol. 231, quo loco Cobetus Varr. Lectt. p. 197 et Mnemos. IX, 423 *ἀνάθημα* scribi vult, sed injuria. Idem vero distichon, quod Phot. et Suidas subscriptum esse tradunt, felicissime emendavit. Nam quum ita scriptum esset:

*Εἰμὶ ἐγὼ Phot. } χρυσοῦς σφουρήλατός εἰμι κολοσσός*  
*Αὐτὸς ἐγὼ Suid. }*

aut si Apellam Ponticum sequimur:

*Εἰμὶ ἐγὼ νάξος Phot. } παγχρύσεος εἰμὶ κολοσσός*  
*Νάξιός εἰμι ἐξὼ Suid. }*

correxit Cobetus:

*Εἰ μὴ ἐγὼ χρυσοῦς σφουρήλατος } εἰμὶ κολοσσός*  
*Εἰ μὴ ἐγὼν, ὠνάξ, παγχρύσεος }*  
*Ἐξώλης εἶη Κνυσελιδῶν γενεά.*

Neque vero a Photii librariis hoc mendum natum est, sed a Graecis ipsis. Postquam enim Cypselidarum tyrannis sub-

lata est, Graeci ipsi illud *εἰ μὴ* in *εἰμι* interpolasse existimandi sunt. Jam enim post *κολοσσός* punctum positum est, ut pentameter per se accipiendus esset, itaque gravissimam Cypselidarum execrationem contineret. Nam Periander omnibus summo odio fuerat ita, ut ob crudelitatem in proverbium veniret et quisvis tyrannus adversabilis Periander aut Cypselida appellaretur. Sic Theognis de demagogis quibusdam et tyrannis v. 894 dicit: (cf. 39 et 1081)

*ὡς δὴ Κυψελιδῶν Ζεὺς ὀλέσει γένος.*

Jam igitur ipsum Cypselidarum donarium auctorem suum execrabatur. De arca, quam Junoni Olympicae misit, jam egimus. Causae autem dedicationum variae ferebantur. Sic de aureo signo Agaclytus in libro *περὶ Ὀλυμπίας* et Didymus mira excogitaverunt. Omnes autem testimonio maximae opulentiae fuisse dicunt. Delphis autem et Olympiae propter oracula narrabantur tam praeclara munera donata esse.

Pergit narratio Herodoti hunc in modum. Cypselum ubi adolevisset Delphico quodam oraculo fretum Bacchiadas adortum esse et tyrannidem arripuisse. Significatum enim ab Apolline esse, regno eum potiturum nec minus filium feliciter victurum, sed nepotem non jam fortunatum fore. Num haec vaticinatio genuina existimanda est? Primum neglecto III versu de duobus tantum prioribus agamus. Itaque quaeritur, utrum Delphici vates Cypselo consilia successura lesse praesentire ac praenoscere potuerint, an non. De hac re si judicare voluerimus, qua ratione Cypselus tyrannus factus sit, spectandum erit. Quam rem quum et Herodotus et omnes ceteri silentio praetermittant, Nicolaus Damascenus, qui ni fallor, ex Ephoro hausisse putandus est, fusius describit. Cypselum fausta vaticinatione inductum Corinthum venisse, mox virtute ac probitate ceteris Bacchiadis antecelluisse, imprimis populo gratissimum fuisse. Jam quum polemarchiam adeptus esset, mansuete ac liberaliter hoc munere functum esse, qua re conciliata plebe vehementer ejus partibus studuisse, omnia movisse, agitasse; tandem oracula sua explanavisse et populi ope caeso Hippoclyda ipsum a plebe regem creatum esse. — Nicolaum quamquam multi ex novissimis hominibus doctis secuti sunt: Steinmetz, Duncker, Schömann *Antiq. Gr. I, 156*, narratio tamen ejus pro vera accipienda non videtur.

Ac primum inquirendum est, qui fuerint polemarchi in Graecorum civitatibus. Lacedaemone polemarchi duces legionum earum, quae *μόραι* nuncupabantur, erant, itaque cum Romanorum legatis sive tribunis militum comparari possunt.

Quum exercitus ibi in VI moras distributus esset, VI polemarchi exstabant, qui lochagis, pentecosteris et enomotarchis praeerant. Regiarum autem epularum ac consiliorum participes erant, saepe totum exercitum soli ducebant, domi autem in coenis communibus imperabant et jus dicebant. Müll. Dor. II, 128 et 239 Schumann A. Gr. V, 247. Magna igitur auctoritate vigeabant. Athenis polemarchi, imperio belli, quod initio penes eos fuerat, amisso, peregrinis jus dicebant quum in omnibus aliis, tum in causis hereditariis et familiaribus, eis autem, quos bella abstulerant, solemnem sepulturam et ludos funebres instituebant Schöm. 413. Boeotorum polemarchi, quorum erat gravissimum munus, cum hipparchis duces belli erant Herm. Ant. gr. §. 180, 15. Postremo Aetolorum polemarchi commemorantur Polyb. IV, 18, 2. Quodsi qui Corinthiorum Doriensium polemarchi fuerint, agitur, ad Lacedaemonios sine dubio respiciendum est. Itaque Corinthi polemarchi summum imperium exercebant et jus in certis causis dicebant. A qua re haud abhorret, quod Nicolaus de Cypselo exponit: Polemarchorum fuisse, si quis in iudiciis condemnatus esset, eum in carcere includere, dum irrogatam solvisset multam, cujus pars ad ipsum polemarchum rediisset. Cypselum vero neque inclusisse quemquam, sed vadibus datis dimisisse, quin ipsum pro aliis spondisse, et omnibus suam multae partem remisisse. Qua re quam maxime populi amicitiam naetum esse.

Ergo Nicolao si fidem habemus, Cypselum Bacchiadam fuisse et tanta virtute atque auctoritate viguisset, ut polemarchia, munus omnium gravissimum, et iudicium ad eum deferretur, cogitandum est. Quibus opibus fretus quum optimates et populum summas inter se gerere inimicitias, hunc autem opprimi animadvertisset, plebi auxilio venisse ejusque gratia recuperata optimatum potentiam perfregisse. Eis igitur adnumerandus esset, quos ex ipsis nobilibus ortos tyrannidem adeptos esse Aristoteles testatur pol. VIII, 204; cujus rei exemplum affert Lygdamin Naxium. Tales homines periculosissimos et aptissimos ad subvertendam optimatum vim dicit Num his fidem tribuamus? Primum obstat, quod supra verisimillimum esse exposuimus, Cypselum a Bacchiadis prorsus alienum fuisse. Quoniam igitur ad perioecos pertinebat, ne ad magistratus quidem nedum ad summum, admissus est: Sed ut mater ejus revera Amphionis Bacchiadae filia fuerit itaque Cypselus aliqua ex parte inter Bacchiadas numerandus sit, Bacchiadas tamen, quo magis olim matrimonium illud respuissent, eo minus filio inde nato favisse manifestum est. Longe igitur aberant, quominus eum polemarchum designarent. Qui est adeo gravis magistratus, uti si Cypselus revera ei praefuerit, eo ipso tempore potentiam nobilium jam fre-

gisse et prostravisse putandus sit. Nam si nobiles invites eo adducere poterat, jam erat eis potentior et omnium potentissimus itaque tyrannus. Non igitur via haec est, qua ad tyrannidem pervenerit, sed signum et testimonium dominationis. Praeterea Aristoteles ipse, auctor gravissimus, huic narrationi repugnat. Qui pol. III, 10, p. 217 plurimos, ex demagogia tyrannos exstitisse exponit idque posteriore tempore, postquam civitates jam auctae essent. Ante id tempus autem plerumque aut reges fuisse, qui potestate regia, aut magistratus et in democratiis et in oliarchiis, qui vi et potentia ad eos delata abusi tyrannidem arripuissent. Et regum quidem exemplum Phidonem Argivum affert, magistratum Jonicos tyrannos. Nam hos videtur Milesios et Ephesios intellegi voluisse, de quibus cf. Plass. de Tyrann. I, 225, Phalarin autem Agrigentinum molibus et aquaeductibus extruendis praefectum fuisse constat I, 304. Deinde ad posteriores tyrannos, qui ex demagogia dominatione potiti sint, Aristoteles rediens Panaetium Leontinum, Cypselum Corinthium, Pisistratum Atheniensem, Dionysium Syracusanum commemorat. Hos igitur *ἐκ δημαγωγίας* opponit illis *ἐκ βασιλείων* et *ἐκ τῶν τιμῶν*. Ex qua re Cypselum ab Aristotele eis non adnumerari, qui a muneris alicujus potestate ad tyrannidem ascenderint, clarissimi apparet. Etiam ceteros, quos cum illo congregat, non *ἐκ τῶν τιμῶν* dominatum nactus esse, manifestum est. Nam de Panaetio agens Plassius ipse I, 314 in errorem incidit, Pisistratum autem nullo magistratu functum plebis partes secutum esse, notum est Plass. I, 187 sqq. De Dionysio Syracusano (Plass II, 202 sqq.) possit aliquis dubitare, quia dux adversus Carthaginienses creatus sit Diod. XIII, 91 et 92; sed Syracusis status rerum prorsus aliter comparatus erat ac Corinthi; neque enim dignitas et auctoritas magistratus cujusdam eum impellebat, ut tyrannidem appeteret, sed vera causa et origo ei plebis amicitia et auxilium fuit. Imperio autem illo, cujus alii quoque participes fuerunt, pro instrumento tantum usus est, ut ea quae vellet impetraret. — Ex his causis sequitur, ut narrationi Nicolai, quam Herodotus ignorat, cui Aristoteles obloquitur, quae etiam per se ab omni verisimilitudine abhorret, fidem abrogemus. Sed hos optimos auctores secuti *ἐκ δημαγωγίας* i. e. plebi oppressae ducem se praebentem eum tyrannum factum esse statuere debemus. Qua autem ratione hoc fecerit, non liquet. Ac Nicolaus regem eum a populo creatum esse tradit, ut primum ad ordinandam rempublicam et novas leges instituendas designatum eum esse, deinde potentiam delatam retinuisse ac tyrannide potitum esse sentiendum sit. Num hoc verum sit, nescio; sed verisimile est, extemplo eum ty-

rannum factum esse, Nicolaum autem vocem βασιλεύς latiore sensu usurpasse, nam etiam Bacchiadas βασιλεύοντας nuncupat.

Sic ea, quae Herodotus paucis verbis tangat magis quam exponat, multo propius a veritate abesse, quam quae in Nicolai narratione ab Herodoteis discrepent, videmus. Nicolai autem narratio a ratiocinatione hominis alicujus profecta esse videtur, qui philosophi quam historici similior ad ea, quae de tyrannis sibi excogitaverat, Cypseli historiam accommodare, et quomodo Cypselus gradatim ad tyrannidem ascendisset et qualibus cum copiis tantum facinus perpetravisset explicare volebat. Quum vero haec Nicolai narratio pro falsa existimanda sit, dubitari aliquo jure etiam de eis potest, quae de Cypseli juventute retulit. Cypselum enim puerum a patre educandum, ὡς ἂν ἰκέτην τοῦ Θεοῦ, Jonis Euripidei instar, Olympiam missum esse, adolescentem autem Cleonis habitasse tradidit. De Olympia quod dixit, non videtur probabile, quia de talibus supplicibus nihil constat et ex illius donariis Olympicis hoc fluxisse facile cogitari potest; Cleonis utrum aliquamdiu vixerit necnon, nec certum est nec multum refert.

Jam igitur, ut redeamus unde exorsi eramus, quaestio existit, utrum Cypselo incepta prospere successura esse praenosci potuerit annon. Nam et Herodotus, eum illo oraculo fretum ad subvertendum Bacchiadarum imperium accessisse et Nicolaus oraculis recitatis gratiam populi captasse dicunt. Hoc negandum est. Nam quot hominibus tyrannidem appetentibus fausta fortuna defuit! Commemorare sufficiet Cylonem, Pisistratum, Hipparchum. Eodem modo etiam Cypselo, ut erant res Corinthiacae comparatae, praeter spem evenire poterat. Praeterea fieri non potuit, ut Apollo, qui tyrannis inimicus esset, Cypselum ad dominationem consequendam inflammaret. — Ac tamen caveamus, ne sacerdotibus Delphicis praeter calliditatem etiam temeritatem et stultitiam objiciamus. Nam si tria oracula alicui edita esse feruntur, quorum duo pro falsis habenda sunt, certe unum relinquendum est, quod genuinum statuatur. Quamobrem Cypselum non ante sed post recuperatam tyrannidem hoc oraculum accepisse proposuerim tum, quum Pythiam maximis donariis et Apollini et Jovi Junonique dedicatis sibi devinxisset. Tum enim quamvis invita Pythia eum non confirmare non potuit itaque hac praeclarissima salutatione eum allocuta est: Ὀλβιος οὗτος ἀνὴρ, ὃς ἐμὸν δόμον ἐσκαταβαίνει Κύψελος Ἡειίδης, βασιλεὺς κλειοῦτο Κορίνθου, quod oraculum miraculi gratia ante eventum editum esse dicebatur.

Ὀλβιος οὗτος ἀνὴρ, ὃς ἐμὸν δόμον ἐσκαταβαίνει.  
Haec salutatio solemnis videtur, nam et Ὀλβιος saepius occurrit in oraculis, velut in oraculo Homeri Paus. X, 24, 2: ὄλβιε καὶ δύσδαιμον, et totus versus compluribus aliis prae-

fixus invenitur. Nam eisdem verbis et Hesiodum Pythia appellavit vel appellasse dicitur apud Auct. de certam. Hom. et Hes. apud Wesseling. ad h. l., et Theseum apud eundem; Lycurgi salutatio in Anth. Pal. II, 568 simillima est:

*Ὀλβιος οὔτος ἀνήρ, ὃς νῦν κατὰ λάϊνον οὐδὸν  
Φοίβου Ἀπόλλωνος χρησιήριον εἰσαναβαίνει.*

Etiam versus Apollinis Clarii conferri potest, qui Smyrnaeis haec respondit Paus. VII, 5, 1:

*Τρεῖς μάκαρες κείνοι καὶ τετρακίς ἄνδρες ἔσονται.*

Pro voce *ἔσκαταβαίνει* Valckenarius *εἰσαφικάνει*, sic enim apud Dion. Chrys. hoc oraculum afferentem XXXVII, p. 456 legitur. Neque vero hoc necessarium est; priorem enim vocem et omnes codd. Herod. tuentur et Hom. Od. ω, 222.

*Ἡετίδης*. Haec forma ex plena illa ac legitima, quae est *Ἡειωνιάδης*, decurtata est. Cogitata enim est, quasi ab ipso *ἄειτῷ* derivata esset, etenim etiam *Ἀείων* forma patronymica est et ab *ἄειτῷ* ducendum. Non igitur ex derivato vocabulo novum derivatum est, sed ex communi radice alia forma ducta. Quod per brevitatis studium Graecis admodum familiare factum esse, Sintenis observat ad Plut. Themist. 1 in fin. Similiter apud Hom. II. Δ, 488 Simoeisius, *Ἀνθεμίωνος* filius, *Ἀνθεμίδης*, et M, 117 Idomeneus *Δευκαλίωνος* filius *Δευκαλίδης* nuncupatur; nam utrumque verbum ex radicibus *Ἀνθεμός* et *Δείκαλος* derivatum est. Quamobrem Göttlingii conjectura: *Κύψελος Ἡεΐωνος, ἄναξ κλειτοῦ Κορίνθου* recipienda non est. Acutior Valckenarii conjectura est, qui ex Euseb. P. E. V, 35 quo loco hoc oraculum affertur sed *Διακίδης* legitur, hoc quoque loco *Αἰεΐδης* restitui vult, praesertim quum illi *αἰετῷ*, qui in primo oraculo est, respondeat. Neque tamen probanda est. Nam ab *Ἡεΐων* et *Ἡετός* nihil nisi *Ἡεΐδης* derivari poterat, et illud oraculum illumque ludum etymologicum non ante, sed post Cypseli tyrannidem confectum esse, supra demonstravimus. Sed potius crediderim, postquam illud primum oraculum subditum sit, in hoc oraculo *Αἰεΐδης* ludi gratia scriptum esse, ut ad illud relatum esse videretur. Quod certe in aliquot Herodoti libris interpolatum est; Eusebius enim re vera *Αἰεΐδης* legisse, sed quum cognitum hoc verbum non haberet, ex voce *Διακίδης* putasse depravatum esse mihi videtur. Quamquam in libris, qui ad nos pervenerunt, *Ἡεΐδης* exstat.

Ergo hi duo versus Cypselo vere editi esse putand sunt. Tertius vero sine dubio postea additus est. Sed ne is quidem semel ortus videtur. Nam quum apud Dion. Chrysosth. non tres integri versus sed duo tantum et hic dimidius *αὐτὸς καὶ παῖδες* exstant, hoc dimidium prius quam alterum illud, idque Periandri aetate, adjectum mihi videtur. Verum post Psammetichi ruinam, ne Apollo res futuras *ἰσ-*

norasse videretur, tertius versus completus est, ut haec quoque adjungerentur: *παιδῶν γε μὲν οὐκέτι παῖδες*. Illis igitur exemplis, quibus commenticia oracula saepe paulatim coaluisse ostendimus, adnumerandus est. Sed ne ejus quidem rei, quod oracula ex parte genuina, alterae vero eorum partes suppositiciae existimandae sint, exempla desunt. Nam hac ratione de multis oraculis dijudicandum est, quae nisi hac via utimur, si de eorum veritate agitur, falsa censenda sunt. Horum numero primum Gygae oraculum Her. I, 13 habendum est de quo in initio egimus. Deinde oraculi Croesi, quod Her. I, 85 invenitur, tres priores versus genuinos existimo. Sed pro *ἀμφίς ἐστί* scribendum est. Croesum enim, hominem omnium pientissimum, de filii surditate Apollinem consuluisse, verisimillimum est. Qui patri in ea acquiescendum esse, quia deo sic placeret, respondit his verbis:

*Αὐτὸ γένος, πολλῶν βασιλεῦ, μέγα νήπιε Κροῖσε,  
Μὴ βούλευ πολέυκτιον ἰὴν ἀνά δῶματ' ἀκούειν  
Παιδὸς φθεγγομένον. τὸ δέ σοι πολὺ λῶϊόν ἐστι.*

*τὸ δέ* pro *τὸ γάρ* positum est, ut saepissime, et indicat: *τὸ μὴ βούλεσθαι*. Postea vero, quum Sardibus captis mutus filius quopiam modo patrem morti eripuisset, aut susurrum edens, aut caput quatiens aut digito monstrans vel tale quid, ob eamque rem locutus esse diceretur, ne veritas rerum edito oraculo non concineret, quartus versus adjectus et *ἐστί* in *ἀμφίς* commutatum est, ut verborum structura haud elegans existeret. Jam *τὸ φθέγγεσθαι* vel *τὸ ἀκούειν*. — Simili modo oraculi Her. I, 66 nihil nisi secundus et tertius versus a Pythia profecti sunt. Nam quum Lacedaemonii Arcadiam aggressuri Apollinem veniam rogarent, hoc oraculum acceperunt:

*Πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίῃ βαλανεργαῖοι ἄνδρες ἔασιν  
οἱ σ' ἀποκωλύσουσιν· ἐγὼ δέ τοι οὔτι μεγάρω.*

(Nam primus versus verus esse nequit, quia Lacedaemonii Arcadiam aggredi ausi non essent, si deus interdixisset). Itaque Lacedaemonii, quum Apollo se eis benevolum esse neque invidere, sed Arcades ipsos, vires fortes, pervicaciter se defensuros edidisset, viribus suis freti Tegeam adorti sunt. Quum vero turpiter victi essent, ne Pythiam, quae de deorum benevolentia eis persuasisset, mendacii insimularent, etiam cladem deus et praevidisse et vaticinatus esse a sacerdotibus dicebatur. Itaque primum contra Arcades proficisci eos vetuisse, deinde verba *ἐγὼ δέ τοι οὔτι μεγάρω* ironice dixisse, postremo cladem ambiguis verbis significasse fingebatur. Sic tres mali versus nati sunt. Jam Lacedaemonios, quia et contra divinum praeceptum egissent et oraculum in suum commodum explicuissent meritam poenam dedisse homines pii dictitabant.

Aliud exemplum apud Her. V, 89 reperitur. In quo altera pars: *ἦν δὲ αὐτίκα — καταστρέψασθαι* postea adjuncta est. Neque enim sacerdotes Apollinis, quum aliquid juberent, optionem dare aut consulentium arbitrio permittere poterant, utrum deo obtemperare liberet an non, nedum si voluntas divina neglecta esset, felicem eventum polliceri. Praeterea Aeginetas subactum iri ne praenosci quidem potuit; qui Atheniensibus non modo pares erant, sed quodammodo praestabant. Athenienses enim a Corinthiis XX triremes mutuabantur, ut haberent, quod Aeginetarum LXXX navibus opponerent. Sed postea, ubi pugna Cecryphaliensi pugnata Aegina subjecta est Ol. 86, 1, haec oraculi pars subdita est et in gratiam Atheniensium, ut expugnationis auctor Apollo ipse fuisse, et in solatium Aeginetarum, a quorum partibus semper steterat, ne eos prodidisse videretur. Rerum autem gestarum ordini sane accommodata est. Nam per id spatium, quod inter Ol. 68, 4 et 86, 1 (*ἐν τῷ μεταξὺ τοῦ χρόνου*) praeter eos annos, quibus bella Persica fuerunt, continuum fere bellum varia fortuna gerebatur, ut ostendit Müller Aeginet. p. 114—119. Nam etsi belli navalis quod inter Ol. 76, 2—79, 3 gestum sit, nulla mentio fit, Athenienses tamen post recuperatam hegemoniam bellum renovasse et omnino rixas nunquam finitas esse, verisimile est. Mox Aegina illi potiti sunt. — Postremo celebratum illud Atheniensium de muro ligneo oraculum Her. VII, 141 affero, cujus duo novissimi versus

*Ἦ θεῖη Σαλαμῖς ἀπολεῖς δὲ σὺ τέκνα γυναικῶν,*

*Ἦ που σκιδναμένης Δημήτερος ἢ σνιούσης*

spurii sunt. Proelium enim Salaminium tunc temporis nemo divinare potuit. Sed postea additi sunt, ut quam sapienter ac provide deus ad naves Athenienses refugere jussisset, ostenderetur. Quapropter etiam Themistocles in contione de argumento horum versuum cum vatibus certasse dicebatur. Callide autem id agebant fingentes, ut tempus proelii ne accuratus significarent, sed vere an autumno apud Salaminem pugnatum iri, Apollinem ipsum dubitasse simularent.

His exemplis hanc rationem, quod saepe alterae oraculorum partes genuinae alterae falsae sunt, satis probasse mihi videor. Idem in hoc tertium quod tractavimus oraculum incidit. Jam in fine hujus dissertationis ea quae de Cypseli dominandi ratione tradita sunt, afferamus. Ac primum Aristoteles huc pertinet, qui pol. VIII, 230 haec dicit: *ὁ μὲν γὰρ Κύψελος δημαγωγὸς ἦν καὶ κατὰ τὴν ἀρχὴν διετέλησεν ἀδορυφόρητος*. Idem Heracl. Pont. p. 11 annuere videtur, qui quum scribat: *Περὶ ἀνδρὸς δὲ πρῶτος μετέστησε τὴν ἀρχὴν δορυφόρους οὐκ ἔχων κτλ.*, Cypselum crudeli dominatione ac satellitibus usum non esse indicat. Consentit Nicolaus: *Κύψελος δὲ Κορίνθου πρῶτος ἦρχεν, οὔτε δορυφόρους ἔχων, οὔτ'*

*ἀποθύμιος ὧν Κορινθίους . .* Cypselus igitur, qui plebis ope tyrannide potitus erat, etiam tyrannus populo favit adeoque popularis fuit, ut ne satellites quidem ei opus essent. Contra ut nobilitatem persequi tyrannorum est, Bacchiadis ceterisque Doribus non perpercit. Quare non solum eos, quos hi in exilium miserant civitateque privaverant, revocavit, et reipublicae participes reddidit, sed ipsos Bacchiadas expulit eorumque bona publicavit; ut ajunt Nicolaus et Herodotus: *πολλοὺς μὲν ἐδίωξε, πολλοὺς δὲ χρηματίων ἀπεστέρησε*, et Polyæn. V, 31: *τὴν τυραννίδα κατέσχευε ἀσφαλῶς τοὺς εὐγενεστάτους ἐκβαλὼν*. Nonnullos etiam capite damnavit, ut consentaneum est; id quod ex Herodoto sequitur, qui addit: *πολλῶ δ' ἔτι πλείστον τῆς ψυχῆς*. Nam scriptor quamquam Sosiclem Corinthium, qui odio tyrannorum flagrat, eorum crudelitatem augmentem atque exaggerantem facit, a vero tamen non adeo deflectit, ut falsa narret, sed potius ita oratorem introducere putandus est, ut de Cypseli lenitate taceat, immanitatem vero explanet ac reprehendat. Itaque si Herodoto hanc rhetoricam vestem detrahimus, eum a Nicolao non dissentire videmus. Jam duo etiam oracula concinunt, quorum priore, quod Bacchiadis datum est, Cypseli divitias, altero ejus in nobilitatem severum judicium significatur. Nobiles autem, quos a Cypselo Delphos ad consulendum missos, tum vero a reditu exclusos Polyænus V, 35 tradit, Cercyram, ut ait Nicolaus, Lacedaemonem Plut. Lys. 1, in Etruriam Liv. I, 34 decessere.

De mercatura autem Corinthiorum, quae id temporis late vigebat, et coloniis, quas Cypselus a filiis suis deducendas curavit, hoc loco sermo esse non debet. Cypselus autem XXX annos feliciter dominatus quum obiret, Periandro regnum reliquit.